



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Illvstrivm Miracvlorvm Et Historiarvm Memorabilivm Lib. XII

Caesarius <Heisterbacensis>

Antverpiae, 1605

De Poenis Et Gloria Mortvorvm Liber Dvodecimvs.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-13177**

DE POENIS ET GLORIA  
MORTVORVM LIBRI  
DVODECIMI

CAPVT PRIMVM.

CAESARIVS.

De pœna  
& gloria  
mortuo-  
rum in  
genere.

Mat. 25.



ICVT hora vñdecima diem ad  
occafum trahit, ita duodecima  
eundem concludit: bene autem  
in diftinctione duodecima tra-  
ctandum de præmiis mortuo-  
rum arbitror, quia die comple-  
to, laborantes in vinea remunc-  
rantur: vnicuique hominũ dies

fuus eft præfens vita, videat quomodo labore in vi-  
nea, id eft in Ecclefia. Dies hæc quibusdam breuior,  
quibusdam longior, quibusdam clarior, quibusdam  
obfcurior efficitur: dies hæc aliis eft hyemalis, his ſci-  
licet qui in inſirmitate ſunt & in anguſtiis; aliis æſti-  
nalis, eis videlicet qui in gloria viuunt & deliciis: aliis  
verò vernalis, qui in flore ſunt iuuentutis; nonnullis  
autumnalis, id eft, eis qui ætate matura pondere de-  
fluunt ſenectutis. Duo ſunt loca æternaliter à Deo  
præparata, in quibus labor diurnus remuneratur, cœ-  
lum ſcilicet & infernus: in cœlo merces eft iuſtorum,  
in inferno merces reproborum. De illo iudex in fine

Mat. 25.

bonis & iuſtis dicturus eft: Venite benedicti Patris  
mei, percipite regnum, quod vobis præparatum eft ab  
origine mundi; de iſto verò: Ite maledicti in ignem æ-  
ternum, qui paratus eft diabolo & angelis eius. Quã-  
ta fit merces iuſtorum, quã ineffabilis, quã inenu-  
merabilis, Iſaias breui ſermone comprehendit, dicẽs:

Iſai. 64.

Oculus non vidit Deus abſque te, quæ præparaſti dili-  
gentibus te. De pœnis inferni, quæ innumerabiles  
ſunt, nouem ſpecialiũs notantur, quæ ſequenti verſi-  
culo comprehenduntur: Pix, nix, nox, vermis, flagra,  
vincula,

vincula, pus, pudor, horror: Hæc tormenta nouem sine modoque carent. Est adhuc tertius locus post hæc vitam, quibusdam electis ad purgandum deputatus, & à re purgatorium vocitatus, hic temporalis est, durans vsque ad diem iudicij. Quanta verò sit futura gloria bonorum, siue pœna malorum, quibus etiam suffragijs iuuari possint hi, qui in penis sunt purgatorijs, etsi non plenè, quod prorsus est impossibile, ex his tamen quæ sequuntur exemplis, maiora poteris perpèdere. **A POLLONIVS:** Primùm mihi ostendas tormenta reproborum, nouissimè gloriam & gaudium iustorum, vt sic nostra collatio cum læticia finiatur. **CÆSARIVS:** Quanta sint tormèta tyrannorum, exactorum, vsurariorum, adulatorum, superborum, siue aliorum qui grauius Deum offenderunt, nec pœnuerunt, secundùm quod à religiosis didici personis, quibusdam tibi pandam exemplis.

## CAPVT II.

**L**odewicus Lantgrauus maximus tyrānus fuit, *Tyranno  
rū pœna.*  
de quo supra dictum est in distinctione prima, capitulo tricesimo-quarto: hic cum moriturus esset, præcepit amicis suis, dicēs: Mox vt mortuus fuero, cucullam ordinis Cisterciensis mihi induite, & ne hoc fiat me viuente diligentissimè cauete. Obedierūt illi, mortuus est & cucullatus. Quod vbi miles quidā vidit, commilitones ironicè allocutus est, dicens: Verè non est similis domino meo in omni virtute, quādo miles erat, non habuit parem in actibus militiæ; factus verò monachus, omnibus factus est forma disciplinæ, videte quā diligenter custodit silentiū suum, nec vnum quidem verbum loquitur. Anima verò eius cum educta fuisset de corpore, principi dæmoniorum præsentata est, sicuti cuidam manifestissimè reuelatum est: sedēte eodem tartarico super puteum, & scyphum manu tenente, huiusmodi verbis Lantgrauum salutauit: Bene veniat dilectus amicus noster, ostēdite illi triclinia nostra, apothecas nostras, cellaria nostra, sicq; cum huc reducite. Deducto misero ad loca pœnarum, in quibus nihil aliud erat, nisi planctus, fletus,

fletus & stridor dentium, & reducto, sic princeps principem affatur; Bibe amice de scypho meo: illò valde reluctantè, cum nihil proficeret, imò coactus biberet, flamma sulphurea de oculis naribusque eius erupit. Post hoc sic infit: Modò considerabis puteum meum, cuius profunditas sine fundo est, amotoque operimento, eum in illum misit, & remouit. Ecce iste est puteus, in quo eum clericus vidit, sicut prædictum est in distinct. prima, cap. tricesimo-quarto.

## CAPVT III.

**N**on est diu, quòd alter quidam princeps Alemannię mortuus est, post cuius obitum, cum quidam sacerdos, cui multa bona fecerat, die noctuque lachrymis & gemitu Deo pro illius anima supplicaret, nescio quis sanctorum ei in oratione assistens, ait: Quare tantum laboras pro homine hoc damnato? Nihil enim illi prodest, imò magis obest, quòd anima eius in profundum inferni dimerisa sit. Respondente sacerdote: Domine, multa bona fecit mihi, multum enim illi teneor. Sanctus subjunxit: Cessa pro eo orare, quia anno integro, antequam sepeliretur, mortuus est, cuius corpus malignus spiritus loco animæ vegetabat. Fuerat idem princeps tyrannus maximus, vir magnanimus, modicum habens timoris Domini. **A POLLONIVS:** Non putauit corpus humanum sine anima posse comedere, bibere, vel dormire. **CÆSARIVS:** Simile legitur in vita sancti Patricij Hibernensis Episcopi, de quodam homine, qui aurigam eius occidit, in cuius corpore diabolus multis annis pro anima habitans, cum ad nutum sancti exisset, corpus corruit, & in puluerem redactum est. Item simile audiui à monacho nostro Gerardo quondam Bonnenis scholastico.

## CAPVT IIII.

**C**lericus quidam tam egregiam & tam dulcem vocem habebat, vt audire illam delicia reputarentur. Die quadam religiosus vir quidam superueniens, & citharæ illius dulcedinem aure percipiens, ait: Vox ista hominis non est, sed diaboli. Cūctis  
verò

verò admirantibus, dæmonem adjuravit, & exiuit, cadauere mox corruente ac fœtente: & intellexerunt omnes idem corpus à dæmone diu fuisse ludificatum. **APOLLONIVS:** Non dubito, quin dæmones valde illorum animas torqueant, quorum corpora in præfenti sic ludificant. **CÆSARIVS:** Verum dicis. Nunc reuertamur ad tormenta tyrannorum, quia hæc per occasionem dicta sunt.

## CAPVT V.

**I**N villa Edenig, quæ in territorio Bonnensi est sita, miles quidam nobilis Walterus nomine habitans, erat tam domui nostræ quàm ordini satis obsequiosus. Hic cùm tempore quodam grauiter infirmaretur, solusque jacêret, diabolus illi ad pedes lectuli visibiliter apparuit: erat autê, sicut ipse nobis tetulit, facies eius ad instar simeæ disposita, cornua habens caprina: in cuius aspectu cùm terretur, postea confortatus, ait: Quis vel quid es, vnde venis, vel quid quæris? Respondit mōstrum: Diabolus sum, animam tuam tollere veni. Dicente milite: Recede lector, certè animam meam nō tolles, Christo me cōmendo. Subjunxit ille: Waltere, si mihi consenseris, homagiūque feceris, non solūm incolumitati te restituam, quin etiam super omnem tuam progeniem te ditabo. Respōdit miles: Satis habeo, de diuitijs tuis fallacibus nō curo: vnde ergo tibi thesauri? Infra terminos, inquit, curiæ tuæ, infiniti occultantur. Cum quo cū miles iam loqui delectaretur, ait: Dic mihi vbi est anima domini mei Wilhelmi comitis Iuliacensis nuper defuncti? Respondit diabolus: Nosti castra vicina Wolkenburg & Drachenfels? Noui inquit. Et ille: Per fidem meam tibi dico, si ferrea essent, tam castra, quàm eorum montana, & in illum locum mitterentur, vbi anima VVilhelmi est, antequam supercilium superius inferiori iungi posset, liquefierent. Quo dicto, mox cachinnando subjunxit: Ardor iste, balneum lacteum ei est, in futura, quando corpus suum anima resumet, tunc primūm pœnam debitam recipiet. Requisitus de anima Henrici comitis Seynensis,  
respon-

respondit: Cerrè nos illam habemus; de poena tamè illius nihil expressit. Adiecit etiam interrogare illum de patre suo: ad quod respondit ille: Viginti annis & vno illum habuimus, sed monocula illa; & caluus ille atque pediculosus, qui in solario jacet, nobis eum abstulerunt, monoculam vocauit uxorem eius; quia pro anima eius iugiter lachrymando, oculum vnum perdidit: caluum dixit filium eius Theodericum monachum nostrum, qui ad videndum germanum eodem tempore aduenerat. Interrogatus verò de prædicta matrona, respondit: Verè nunquam potestati nostræ addicta est, eo quod mulier bona esset ac sancta: Fratrem autem tuum Lambertum sic sellauimus, ut nostrum eius euadere non possit. Qui ante paucos annos defunctus est, vir auarus & pecuniosus. Dicente iterum milite: Dic mihi, de quo loco venisti nunc ad me? Respondit dæmon: Ego & socij mei eramus in exequijs cuiusdam Abbatissæ nigri ordinis; egressum animæ eius præstolantes. Tunc miles: Quot eratis ibi? Respondit dæmon: Nosti nemus in Cottinforst? Optimè, inquit, noui. Et ille: Non sunt tot folia in arboribus, quot illic fuimus congregati. Non est tam grandis silua in prouincia nostra. Et quid, ait, obtinuitis ibi? Respondit: Heu nihil, femina fuit religiosa, sed & Michaël Archangelus superueniens cum fuste ferreo sic nos cæcidit, & cædendo fugauit, ut dispergeremur, quæadmodum puluis qui à turbine impellitur. APOLLONIVS: Si tot dæmones congregati sunt in egressu vnus animæ, constat innumeros esse, quia per latitudinem mundi quotidie multi moriuntur. CÆSARIUS: Licet maligni spiritus ita sint in vno loco, quod non sint in alio; attamen tam agiles sunt naturæ, ut vno momento diuersa transeant spatia terrarum. Vel dici potest: quod cum fortiori numero insistant iustis morientibus, quàm malis, de quibus certi sunt. APOLLONIVS: Placet quod dicis. CÆSARIUS: Requisitus etiam si esset in obitu domini Geuardi Abbatis nostri, tunc recenter mortui; Respondit: Non est tantum arenæ in littore maris, quot ibi fuimus, fed

sed modicum ibi obtinuimus, quia pediculosi illi, more porcorum in humo iacendo grunniētes, non sinebant propius nos accedere: habent præterea domum quandam susurrij ( capitulum notans ) in qua omnia nobis, quæ delinquunt, subtrahuntur. Et dixit miles; Quomodo stultissime ausus fuisti ad obitum viri tanti iusti venire? Ausus, inquit: Ego præsens fui, vbi Dei Filius expiravit, sedens super brachium crucis. Hoc verbum a dæmone prolatum, & à laico recitatum, maximè mihi fidem fecit dictorum, eo quòd in glosa legatur super Tobiam. Dicente Waltero: Quæ fuit portio vestra in Christi morte? Respondit: Nulla, malo nostro illic venimus, quia virtute morientis turbati, & agitati, detrusi sumus in infernum. Multa alia cum dæmone, quotiens solus erat, conferebat, quæ postquam conualuit multis recitavit. Vis nunc audire, qualis prædicti comitis finis fuerit & pœna? **APOLLONIVS:** Etiam. **CÆSARIVS:** Infirmatus verò in castra sua Niedecke, pro quadam contumelia sibi illata venit Coloniam: qui cum rediret, in via defectum cordis incurrit, & ait; Och nunquam de cætero videbo Coloniam. Cui in terram deposito, cum medicus diceret, mortem esse in ianuis, subiecit: Consulo tibi, vt vxorem tuam recipias. Respondente illo; Non faciam. Supplicavit ei pro quodam milite, quem diu incarcerationauerat: Nequaquam, inquit, egredietur me viuentem. Tunc medicus; Ergo ante diem crastinum egredietur. Quod ita factum est. Cum verò moriturus esset, in sinu cuiusdam matronæ, quam viro proprio tulerat, iacebat: cui cum illa diceret; Domine, quid faciam post mortē vestram? Iuueni, inquit, nubere debes militi. Hæc ei verba vltima fuere. Eadem nocte, sicut mihi retulit Abbas quidam ordinis nostri, sanctimonialis quædam sancti Mauritij in Colonia, in loca pœnarū transposita est, in quibus puteum magni horroris, igneo tectum operculo, inter flāmas vidit sulphureas: de quo cum suū ductorē interrogasset, respōdit ille; Duæ tantum animæ in illo sunt, anima scilicet Maxentij Imperatoris, & anima Wilhelmi comitis Iuliacensis.

Manè

*Glosa. or  
di. xv. c. 6.  
Tobia.*

Manè visum recitans, cū eadem die rumor insontif-  
 set Coloniae de morte eiusdem comitis, visionem fuis-  
 se verā intellexit. A POLLONIVS: Miror, qua de causa  
 sociatus fuerit Maxentio in pœnis, tot annis interpo-  
 sitis, & tot tyrannis ante ipsum defunctis? CÆSARIVS:  
 Propter similem culpam: iustum fuit, vt qui partes e-  
 rant in culpa, conformes fierent in pœna. Vtriusquē  
 vitam noui, Maxentij ex lectione, Wilhelmi ex mul-  
 torum relatione: vterque tyrānus, vterque supra mo-  
 dum luxuriosus. Sicut legitur in chronicis, nulla fuit  
 in vrbe Romana, siue extra urbem, matrona tam no-  
 bilis, tam pudica, dummodo oculis Maxentij place-  
 ret, quin de domo mariti sublatam corrūperet: simi-  
 lia faciebat de virginibus & viduis. Viderunt ista viri,  
 & ingemuerunt; parentes, & tacuerunt: tanta erat il-  
 litus crudelitas, vt cū nimio dolore cordis afficeren-  
 tur, tristitiā tamen dissimularentur. Tanta eius exitit  
 tyrānis, vt passim Senatores, ciues, milites occideret,  
 de quibus aliqua habebatur suspicio. Wilhelmus ve-  
 rō non dissimilia operabatur his, etsi non pari pote-  
 state, non tamen impari voluntate: sicut audiui, ita  
 deditus erat luxuriæ & incestui, vt vix aliquem habe-  
 ret ministerialium, cuius vxorem aut filiam non attē-  
 taret violare, nullam habens differentiam inter ma-  
 trem & filiam, inter legitimam & absolutam. Quan-  
 tā fuerit circa subiectos siue prouinciales crudelita-  
 tis, omnis nouit episcopatus Coloniensis. Maxen-  
 tius vxorem propriam occidit, iste inclusit: ille perse-  
 cutus est ecclesiam multos perfidē occidendo; iste tē-  
 pore schismatis imperij Romani persecutus est sedi  
 Apostolicæ obediētes, sacerdotes de suis sedibus eji-  
 ciendo, quosdam mutilando, & bona ecclesiarum  
 diripiendo. Hæc acta sunt in temporibus Innocentij  
 Papæ. Anno præterito canonicus quidam Aquensis  
 retulit mihi de eodem Wilhelmo visionem satis terri-  
 bilem: Post mortem, inquit, suam cuidam inclusa, cui  
 benefecerat, visibiliter apparens, vultu lurido ac  
 macilento, ait: Ego sum miser Wilhelmus, quandoque  
 comes Iuliacensis; quē dū illa interrogasset de statu  
 suo,

*Euseb. lib  
 8. hist. ca  
 26 & li.  
 1 vita  
 Constan.  
 cap. 27.*



suo, respondit: Totus ardeo: & cum leuasset vestem vilissimam, qua indutus videbatur, mox flamma erupit, sicque cum eulatu disparuit. Huic adhuc viuenti Deus, qui misericors est, vt eum a peccatis reuocaret, aliquid gloriæ suæ ostendit. In die quadam natalis sui; in canone prioris missæ, voces suauissimas, cum melodia dulcissima, quasi in cælo eum audire permisit, qui mox interrogans dominum Engilbertum, tunc maioris ecclesiæ in Colonia Præpositum, nunc Archiepiscopum, si voces easdem audiret, & ille se auduisse negaret, amplius mirabatur. In canone verò secundæ missæ, nec non & tertię, easdem voces, quæ diuersæ erant ætatis, audiuit. Cum hæc recitata fuissent domino Hermanno Abbati loci sanctę Marię, comitem adiit, ex ore eius, quæ dicta sunt, audiens: inuocauitque idem comes testem Deum, nihil se mentiri, hæc addens cum iuramento: Quia si adhuc semel mihi talia concederentur audire, omnibus meis paratus essem abrenunciare. Modicum tamen cœlestis hæc cōsolatio illi profuit, peccatis eius maximis impediētib. Puteus in quem missus est comes iste, ad memoriam mihi reuocat pœnam cuiusdam mali sacerdotis,

## CAPVT VI.

**E**Rat in quadam villa sacerdos quidam miserimus, luxuriæ & comestationibus vacans, animasque sibi cōmissas omnino negligens: qui cum mortuus fuisset, parochiani sub eo defuncti, saxi comprehensis, in locis infernalibus illum jactare cœperunt, & dicere: Tibi commissi fuimus, tu nos neglexisti, & cum peccaremus, nec verbo neq; exemplo reuocasti nos, tu occasio nostræ damnationis fuisti: quem cum agitarent, lapides post eum mittendo, ille in puteum cadens, nusquam comparuit. Hæc cuidam religioso de illo sunt ostensa.

*De mōte  
Vulcano.*

**T**empore quodam Sueuis quibusdam peregrinationis gratia profectis Ierosolymam, cum in reditu nauigarēt iuxta montē Vulcanū, cuius perpetua sunt incedia, voces huiusmodi de illo resonauerunt; Bene veniat, bene veniat amicus noster Schultetus de Kolmere, frigus est, ignē ei copiosū pręparare. Illi personam cognoscentes, diem & horam nonauerunt, & cum ad propria rediissent, eundem Schultetum, die & hora eadem, defunctum reppererunt. Tunc accersentes eius vxorem quid audierint indicaerūt. Quibus illa respondit: Si sic res se habent, dignum est vt illi succurrat: moxque omnib<sup>9</sup> relictis, loca circuiuit Sanctorum, eleēmofynis & orationibus pro anima illius Deo supplicando.

## CAPVT VIII.

**A**lio tempore quidam Flamingi, cum mare transirent, de eodem monte Vulcano vocem huiusmodi audierunt; Bonus amicus noster Sewardus hęc venit, suscipite illum: qui cum multo stridore missus est in Vulcanum: nam & ipse schultetus fuerat in Leggenich. Illi notantes tempus & nomen personę, reuersi villam iam dictam intrauerunt, & cum de schulteto requirerent, eum eadem die & hora, qua vocem audierint in mari, obiisse reppererunt: nam & ipse homo pessimus erat, sicut & superior.

## CAPVT IX.

**S**imile est quod sequitur. Cum tempore quodam Conradus sacerdos de Rinkassel, cum alijs prouincię nostrę peregrinis, mare transiret, ante se dictum Vulcanū, vox talis in eo audita est; Hęc venit Bruno de Flittirt, suscipite illum. Quę vox cum ab omnibus fuisset audita, ait prędictus sacerdos confratribus; Testes estis vos omnes huius vocis, & statim notauit in tabula eis pręsentibus diem & horam, dicens; Reuera dominus Bruno mortuus est. Cum verò redirent Ierosolymam, obuios habuerunt quosdam peregrinos prouincię suę, quos tunc interrogasset de  
statu

statu prædicti Brunonis, acceperunt ab eis, quòd mortuus esset; de tempore autem sciscitantes, diem eundem inuenerunt, quo vocem prædictam in Vulcano audierunt. Conradus verò non multo post factus est monachus in Bergis.

## CAPVT X

**I**dem Bruno nominis sui filium reliquit, quem plenius suis vitijs quam possessionibus hereditauit: erat enim, sicut & pater, auarus valde; pauperum exactor, & supra modum luxuriosus. Ipse est Bruno de Flittere, pincerna comitis de Monte; vix tres menses elapsi sunt quòd mortuus est. In cuius obitu obsessa quædam à dæmone liberata, cum die quinta de nouo vexaretur, dixerunt quidam ad diabolum: Dic nobis vbi fuisti, vel quare reuersus es? Respondit ille: Verè maximum postea habuimus festum, ad obitum Brunonis congregati fuimus ad instar pulueris terre, cuius animam cum gaudio deducentes ad inferos, locauimus eam in sede debita, poculū infernale ei propinantes.

## CAPVT XI.

**E**odem tempore mortuus est in eadem prouincia alius miles Euerhardus nomine, & ipse vir criminofus sicut superior. Media nocte diabolus corpus erigens in feretro, cunctis qui aderant terrorem incussit; timens amici eius ludificationem dæmonum, corpus ligantes, ante Missam illud sepelierunt.

## CAPVT XII.

**E**odem tempore, quo Henricus Imperator subiugauit sibi Siciliam, in ecclesia \* Palernensi quidam erat Decanus, natione, vt puto, Teuthonicus: hic cum die quadam suum, qui optimus erat, perdidisset palefredum, seruum suum ad diuersa loca misit ad inuestigandū illum: cui homo senex occurrens, ait; Quò vadis, aut quid quæris? Dicete illo; Equum domini mei quæro: subjunxit homo: Ego non vbi sit. Et vbi est, inquit; Respondit, In monte Giber; ibi eum habet dominus meus rex Arcturus: Idē mons

*De montē  
Giber.  
\* Panor.  
mitana.*

Y y 2 flam.

flamas euomit sicut Vulcanus. Stupente seruo ad verba illius, subiunxit; Dic domino tuo, vt ad dies quatuordecim illuc veniat, ad curiam eius solennē: quod si dicere omiseris, grauiter punieris. Reuersus seruus, quę audiuit domino suo exposuit, cum timore tamen. Decanus ad curiam Arcturi se inuitatū audiens, & iridens, infirmatus, die præfixo mortuus est. Hęc Godeschalcus canonicus Bonnenfis nobis retulit, dicēs se eodem tempore ibidem fuisse. APOLLONIUS: Mirabilia sunt quę recitas. CÆSARIUS: aliqua tibi adhuc de eodem monte dicturus sum.

## CAPVT XIII.

**C**Irca hoc triennium, homines quidam ambulantes iuxta eundem montem Gyber, vocem validam in hæc verba audierunt; Præparate focum. Modico autem facto interuallo, idem clamatum est; cumque tertio clamaret, præpara focum magnum, respondit nescio quis; Cui præparabo? Et ille; Dilectus amicus noster hic venit, dux Zeringiæ, qui plurimum nobis seruiuit. Illi notantes diem & horam, per literas audita regi Frederico mandauerunt, interrogantes, si aliquis in eius imperio mortuus fuisset dux Zeringiæ: & compertum est, eadem die & hora, Bertolphum ducem Zeringiæ fuisse defunctum. Erat autem idem dux tyrannus, immanis, tam nobilium quam ignobilium exhæreditor, & fidei Catholicae desertor. Qui cum non haberet prole, instigante vitio auaritiæ, plurimam congregauerat pecuniam: Cùm autem moriturus esset, rogauit sibi familiares, vt omnes suos thesauros conflarent in massam: Requisitus de hoc, respondit; Ego noui quod cognati mei, de morte mea gaudentes, sibi diuident thesauros meos: si autem in massam fuerint reducti, inuicem se occident. Vides quanta inuidia: Hęc mihi à duobus Abbaribus relata sunt, ex quibus vnus fuit de ducatu Zeringiæ, alter asseruit sibi eadem narrata à quodam Abbate, qui literas supra dictas audiuit, cum legerentur coram rege Frederico. APOLLONIUS: Quid sentiendū est de his montibus, Vulcano scilicet, Athena, & monte Gyber?

Cyber? Cùm animæ in eos mittantur, estne ibi purgatoriu siue infernus? CÆSARIVS: Os dicunt esse inferni, quia nullus electorum, sed reprobi tantum in eos mittuntur, sicut legitur in dialogo de Theoderico rege Gothorum. Infernus putatur esse in corde terræ, ne mali lumen cæli videant. Referam tibi nunc aliqua exempla de pœnis prædonum.

Greg  
li. 4. dial.  
8. 30.

## CAPVT XIV.

Cuis quidam Andernacensis, Erkinbertus nomine, pater Ioannis monachi nostri, cùm die quadam ante lucem iret ad quoddam placitum, quidam ei occurrit in dextrario nigerrimo, de cuius naribus fumus & flamma procedebat; nunc viã tritam tenebat, nunc exorbitans in campum discurrebat. Hæc videns Erkinbertus, primùm valde territus est, & quia declinare non poterat, se ipsum confortans, cruce se signauit contra diabolum, dexteram armans gladio contra hominem: ignorabat enim quid esset. Cui cùm propinquasset, cognouit eum quendam fuisse militem nominatum, nuper defunctum Fredericum nomine, de villa Kelle oriundum. Videbatur enim circumamictus pellibus ouinis, molem terræ gestans in humeris. Ad quem Erkinbertus: Estis vos dominus Fredericus? Respondente illo: Ego sum, subiecit: Vnde venitis, quidue significant ista que video? Ego, inquit, in maximis pœnis sum, pelles istas cuidam viduæ tuli, quas nunc ardentes sentio: similiter partem cuiusdam agri mihi iniuste vendicaui, cuius pondere modò premor: si filij mei ista restituerint, multum pœnam meam alleuiabunt. Sicque ab oculis eius euauit: quod cùm recitasset die altera verba patris filijs, maluerunt illum æternaliter in pœnis manere, quã dimissa restituere. APOLLONIVS: Similia te recordor dixisse in distinct. 2. cap. 7. de Helia de Ryningen. CÆSARIVS: Ecce aliud exemplum.

De prædo  
num sup  
plicijs.

**I**N Treuerensi episcopatu, in quo & superior visio facta est, alter quidam miles erat Henricus nomine, cognomento Nodus. Nam & ipse malitiosus valde erat, rapinas, adulteria, incestus, perjuria, hisque similia, virtutes iudicans. Hic cum mortuus fuisset in prouincia Menevelt, in pelliceo nouo, quo vti solebat viuus, multis apparuit, domum filiae maximè frequentans: non crucis signo non gladio poterat fugari, gladio saepe cadebatur, sed non poterat vulnerari, talem ex se sonum emittens, ac si mollis lectus percuteretur. Cuius amici cum super hoc consulerent dominum Episcopum Treuerensem Ioannem, dedit consilium, vt aqua clauo dominico superfusa domus, & filia, nec non & ipse, si adesset, aspergerentur: quod cum factum fuisset, de caetero non comparuit. Eandem filiam genuerat de ancilla sua, cum tamen haberet legitimam, quam cum fuisset adulta, miser corrupit, non est diu ex quo ista contigerunt. **APOLLONIVS**: Quid sentiendum est de his, qui in bellis siue torneamentis moriuntur? **CÆSARIVS**: Si iusta sunt bella, vt defensio patrie, nihil eis oberit, qui defendendo se moriuntur. Quantum autem delectentur daemones in moribus illorum, qui innocentes impetunt, subsequens declarat exemplum.

*De iis  
qui se-  
stantur  
Vastilu-  
da.*

**S**Equenti nocte, quando exercitus ducis Louanij à Leodiensibus occisus est, seruus quidam comitis Lofensis iuxta Montenacke, locum scilicet occisionis, transiens, circa noctis principium, maximum ibi vidit torneamentum demoniorum. Neque immundis spiritibus astimo tantam fuisse exultationem, si non magnam illic cœpissent pradam. De his verò, qui in torneamentis cadunt, nulla quaestio est, quin vadant ad inferos, si nō fuerint ad iuti beneficio contritionis.

## CAPVT XVII.

**S**acerdos quidam de Hispania anno presentis prope castrum comitis Losensis, dum in crepusculo noctis transfret de villa in villam, vidit in campo vicino torneamentum maximum mortuorum valide clamantium: Domine Waltere de Milene, domine Waltere de Milene: erat idem Walterus in militia nominatus, nuperque defunctus. Intelligens sacerdos illos esse, qui militum nundinas execrabiles representabant, subsistens, circulum circa se fecit: cumque visio cessaret, & ipse procederet, iterum illos videns, fecit ut prius, sic usque ad lucem laborans. Hæ duæ visiones mihi relatæ sunt a Wigero monacho Vilarienti. Referam tibi nunc exemplum de pœna vsurariorû,

## CAPVT XVIII.

**M**iles quidam moriens, bonis de vsura cõquisitis, filium suum hæreditauit; nocte quadã ad ostium fortiter pulsans, cum puer occurreret, & quid ibi pulsaret interrogaret, respõdit: Intromitte me, ego sum dominus huius possessionis, nomen suum exprimens. Puer per foramen sepis prospiciens, eumque cognoscens, respõdit: Certè dominus meus mortuus est, non vos intromittam, cumque mortuus pulsando perseveraret, nec proficeret, nouissimè dixit: Defer pisces istos, quibus ego vescor, filio meo, ecce ad portam illos suspendo. Mane exeuntes, reppererunt in quodam ligamine multitudinem bufonum atque serpentum. Reuera iste est cibus infernalis, qui igne sulfureo decoquitur. **APOLLONIVS**: Quid sentis de his, qui malè viuunt, & tamè elemosynas multas faciunt? **CAESARIVS**: Nihil eis prodest ad vitam æternam.

*De vsurariorum pœnis.*

## CAPVT XIX.

**N**on multi anni sunt elapsi, quod quidam ditissimus ministerialis ducis Bajoariae defunctus est: Nocte quadam castrum, in quo vxor eius dormiebat, sic cõcussus est, ut terremotus fuisse videretur. Et ecce, ostio camerae, in qua illa iacebat, aperto,

Y y 4

quo:

*¶ al. cum scapulis.* quodam gigante nigerrimo \* cum capillis impellen-  
te, maritus eius ingressus est: quem cum vidisset & ro-  
uisset, ad se illum vocans, super sedile lecti sui residere  
fecit. Nihil verò territa, eo quòd frigus esset, & illa so-  
la camisia induta fuisset, partem operimèti sui scapu-  
lis eius superposuit: què cū de statu suo interrogasset,  
tristis respondit: Pœnis aternis deputatus sum. Ad  
quod verbum illa territa nimis, respondit: Quid est  
quod dicitis? Nonne eleemosynas magnas fecistis: o-  
stium vestrum peregrinis omnibus patuit: Non pro-  
sunt vobis beneficia ista? Respondit ille: Nihil mihi  
profunt ad vitam aternam, eo quòd ex vana gloria nò  
ex charitate à me facta sunt. Quem cum de aliis in-  
terrogare vellet, iterum respondit: Concessum est mi-  
hi tibi apparere, sed nò licet morari: ecce ductor meus  
diabolus foris stat expectans me: si enim omnia folia  
arborum vertèrentur in linguas, tormenta mea expri-  
mere non possent. Post hæc euocatus & impulsus, in  
eius abscessu totum castrum, vt prius, concutitur, vo-  
ces ejulatus eius diutius audiuntur. Visio hæc valde  
celebris fuit & est in Bajoaria, sicut testis erat Gerhar-  
dus monachus noster, quandoq; canonicus Ratispo-  
nensis, qui nobis illam recitauit. Ecce in his omnibus,  
*Sapient. 6* qua dicta sunt, impleta est scriptura, qua dicit: Po-  
tentes potenter tormenta patientur. APOLLONIVS:  
Hæc & huiusmodi exempla potentibus debent præ-  
dicari: CÆSARIVS: Quia ipsi sacerdotes ex magna  
parte malè & incontinententer viuunt, potètes nò pun-  
gunt, sed vngunt. Quam graue sit peccatum luxuria  
sacerdotum, subsequens probat exemplum.

## CAPVT XX.

*De incon-  
suetudine  
ecclesia-  
sticorum  
& al. ac-  
cidents.*

**C**oncubina cuiusdam sacerdotis, cum esset mo-  
ritura, sicut à quodam religioso didici, cū mul-  
ta instantia calceos sibi novos & bene \* taccu-  
motos fieri petiuit, dicens: Sepelite me in eis, valde-  
nim erunt mihi necessarij. Quod cum factum fuisset,  
nocte sequenti, longè antè lucem, luna splendente,  
miles quidam cum seruo suo per viam equitans, fe-  
mineos



mineos ejulatus audiuit; mirantibus illis quidnam hoc esset: Ecce mulier rapidissimo cursu ad eos properans clamauit: Adiuuate me, adiuuate me. Mox miles de equo descendens, & gladio circulum sibi circumducens, feminam bene notam infra illum recepit: sola enim camisia & calceis predictis induta erat. Et ecce, ex remoto vox quasi venatoris terribiliter buccinantis, nec non & latratus canum venaticorum praecedentium, audiuntur. Quibus auditis, illa dum nimis tremet, miles cognitis ab ea causis, equum seruo committens, tricas capillorum eius brachio suo sinistro circumligauit, dextera gladium tenens extentum. Approximante infernali illo venatore, ait mulier militi: Sine me currere, sine me currere, ecce appropinquat. Illo fortius illam reuolvente, misera diuersis conatibus militem pulsans, tandem ruptis capillis effugit: quam diabolus insecutus cepit, equo suo eam injiciens, ita ut caput cum brachijs pederet ex vno latere, & crura ex altero: post paululum, militi sic obuians, captam praedam deportauit. Qui mane ad villam rediens, quid viderit exposuit, capillos ostedit, & cum minus referenti crederent, aperto sepulchro, feminam capillos suos perdidisse reppererunt. Haec contigerunt in Episcopatu Moguntinensi. APOLLONIVS: Si Deus sic punit peccatum fornicationis in concubinis, puto quod multo durius illud puniat in sacerdotibus, qui illas peccare faciunt. CAESARIUS: Verum dicis. Praeterea peccatum multum aggrauant ordo & scientia: in eodem genere peccati, plus monachus quam saecularis. Idem intelligas in sexu femineo.

## CAPVT XXI.

**S**anctimonialis quaedam de quodam monasterio nobis vicino, quod nominare nolo, cum tempore quodam concepisset, ne proderetur eius fructum, partum intra se necauit: postea infirmata grauissime, ob nimiam verecundiam, confessis omnibus peccatis aliis, stuprum & parricidium tacuit, sicque exspirauit. Pro cuius anima cum quadam eius cognata plurimum laboraret, defuncta ei in oratione visibiliter apparuit.

rens, infantem igneum in manibus gestavit, dicens: In-  
fantem hunc concepi & parturivi, animatum interfe-  
ci, unde illum indefinenter in tormentis circumfero,  
& est mihi ignis ardēs & deorās: q̄ si de hoc maximo  
peccato moriens confessionem fecissem, gratiam  
inuenissem. Ex quo colligitur, quòd peccata, quæ hîc  
detecta non fuerint per confessionem, in futuro per  
pœnalem detegantur confusionem. APOLLONIVS:  
Quando anima egreditur de corpore, nouit statim  
quid de se sit futurum? CÆSARIVS: Hoc videtur  
probari scriptura, dicente in persona reproborum:  
Ducunt in bonis dies suos, & in puncto ad inferna  
descēdunt. Ex quo probatur, quòd electorum animæ,  
qui agilioris sunt naturæ, mox sunt ante Deū. Quòd  
si aliquid in eis purgandum est, simili velocitate de-  
ducuntur in purgatorium, in quo saluationis certitu-  
do est. APOLLONIVS: Huic diuersæ visiones contra-  
dicere viderētur, in quibus legitur, quòd opera bona,  
nec non & mala, in statera posita ponderentur. His  
etiam cōsentire videtur quædā visio in dialogo S. Gre-  
gorij, quam ipse minimè diffinit, de quodam, qui in  
ponte positus, manibus ab angelis trahebatur sursum,  
propter opera misericordiæ: coxis verò & cruribus  
deorsum; propter opus luxuriæ: quibus tamen victo-  
ria cesserit, dicit videntem ignorasse. CÆSARIVS: Li-  
cèt autoritas scripturarum præferenda sit huiusmodi  
visionibus, referam tamen quod nuper audiui.

*Job 21.*

*Gregor  
li. 4. dial.  
cap. 36.*

CAPVT XXII.

**A**Nte annos paucos Romæ quidam Cardinalis  
defunctus est, nomine Iordanus: de ordine qui-  
dem Cisterciensi assumptus fuerat, sed vita or-  
dini in eo minimè cōcordabat: erat enim auarus val-  
de, sicut à quodam Abbate audiui. Habebat autem  
notarium nomine Pandolphum: hunc cū pro qua-  
dam negotio, nescio quo, misisset, interim expirauit.  
Eadem hora, cū ille expleto negotio rediret, manē  
ante lucem, cateruam miserabilem in agro contēpla-  
tus est: sedebāt homines in iumētis, in ore caudas ha-  
bētes, versis dorsis ad capita illorum: quos Iordanus,  
cuculla

cuculla indutus, nudis pedibus sequebatur, duobus demonibus se ducentibus. In quorum aspectu dum notarius nimis horreret, clamauit Cardinalis, Pádolphe, Pádolphe: subsistente clerico, & dicente; Quis es, aut quid clamas? Respondit ille: Ego sum Iordanus dominus tuus, & mortuus sum, dicente illo, quod ducimini? Respondit, ante tribunal Christi. Et ille: Nostis quid de vobis sit futurum? Non noui, inquit, Deus scit: sed cum illuc venero, beatus Petrus de cardinalia mea pro me redditurus est rationem, sanctus verò Benedictus, de cuculla: quod si illam mihi obtinere poterit, saluabor: sin autè, dānabor. Sicque oculis eius substractus est. APOLLONIVS. Non mihi placet in illo ducatu praesentia dæmonum, & absentia sanctorum angelorum. CÆSARIVS: Hæc dicta sunt de pœnis reprobatorum. APOLL. Licet huiusmodi visiones sæpe sint veræ, magis tamen ei crederem, qui reuertens ab inferis visa recitaret. CÆSARIVS: Hoc fieri posse Iob contradicit; Sicut, inquit, consumitur nubes, & pertransit; sic qui descenderit ad inferos, non ascendet, nec reuertetur ultra in domum suam, neque cognoscet eum amplius locus eius. Referam tibi tamen quod ante biennium audiui.

## CAPVT XXIII.

**T**heodericus Traiectensis Episcopus, de castro Nureberg oriundus, seruū quēdā habebat, Euerwach nomine, prouidū satis, qui in diuersis locis bona illius dispēsauit, erat in cōmisso fidelis, in administratione utilis, diligens ac circūspectus, propter quod à domino suo amabatur. Vnde quidam ex officialibus ei detrahentes, ex inuidia accusabant illum apud Episcopum, dicentes: Domine non fideliter, ut estimatis, Euerwachus bona vestra dispensat, consulimus ut cum eo cōputeris. Quod cum factum fuisset, tam rationabiliter cōputauit, ut omnē Episcopo tolleret suspicionē: habebat enim omnia notata in chartula. Sciscitantibus accusatoribus de cōputatione, cum Episcopus respondisset: Optimè computauit, dixerunt illi: Nequaquam, sed computet nobis audientibus, & conuin-

Iob 7.

uin.

vincetur maximum vobis damnum intulisse. Quod cum ei intimatum fuisset ab Episcopo, ille timens æmulorum insidias, maximè quia chartulam perdiderrat, ait intra se: Si aliquid modò in computatione tütubauero, necesse erit me vel in corpore torqueri, vel carceris squalore vsque ad mortem cruciari. Immisione igitur diaboli, cuius instinctu ab inuidis indebitè vexabatur, campum solus intrauit, ipsumque diabolum aduocans, sic affatur, dicens: Domine si mihi succurretis in tãta necessitate posito, homagium tibi faciam, & in omnibus parebo. Cui diabolus respõdit: Si abrenunciaueris altissimo, matrique illius, te suscipiam, & de omnibus periculis, cum multa tuorũ confusione æmulorum, a me liberaberis. Quid plura? Abrenunciat miser Christo, homagium facit diabolo, prospere succedit cõputatio. Ab illo tẽpore cœpit diaboli virtutes magnificare, CHRISTVM blasphemare, adedò vt diceret; qui seruiunt Deo, miseri sunt & egent, qui autem sperant in diabolo, prosperis successibus gaudent. Et, sicut mihi retulit Bernhardus monachus noster, qui eum tunc temporis nouit, ita totus deditus erat artibus magicis, vt si aliquẽ nosset scholarẽ eiusdem disciplinæ, nummis eum redimeret, vt aliquid ab illo discere posset. Qui cum vndecim annis in hac blasphemia perseuerasset, accidit vt magister Oliuerus Scholasticus Colonienfis in episcopatu Traiectensi crucem prædicaret: cuius prædicationi ille in tantum restitit, vt die quadam commotus Oliuerus, diceret ei in audientia totius populi: Tace infelix: vas enim diaboli es, & diabolus loquitur per os tuum, cum tamen statum eius ignoraret. Euerwachus nullum arbitrans gratius obsequium se posse præstare domino suo, quam vt inimicum eius occideret, tribus diebus ad diuersas stationes secutus est magistrũ, longo ad hoc cultello præparato, transfodere illum proponens, si fortè sine turbis inueniretur. Et ecce, tertia die subita infirmitate præoccupatus, post paucos dies impœnitẽs decessit, & defunctus est, & ab eo, cui se reddiderat, ad loca pœnarum inferni deductus est.

est. Primo loco, sicut ipse resurgens à mortuis confessus est Ioanni Scholastico Xanrensi, à quo ego, quæ dicturus sum, audiui, missus est in ignem tam intolerabilis ardoris, vt diceret, si ex omnibus mundi lignis vnus ignis esset confectus, mallet in eo vsque ad diē iudicij ardere, quam per spatium vnus horæ illū sustinere. Ex quo extractus, iactatus est in locum tam frigidissimum, vt optaret redire in ignem. Deinde deductus est in tenebras palpabiles, tanti horroris, vt diceret intra se: Si seruiuisles centum annis Deo, bene te remunerasset, dummodo liceret tibi redire ad frigus. In hunc modū sex reliquas pœnas, quas scriptura enumerat pertransiuit. Quo in extrema pœna posito, Dominus opera eius priora considerans, & vt passa vel visa viuentibus recitaret, misertus illius, angelum suum misit ad eum, qui diceret: Ecce talem mercedem recipiunt, qui seruiunt diabolo, subjunxit que; Si tibi liceret ad vitam redire, velles pro peccatis tuis satisfacere Deo? Ad quod verbum ille suspirans respondit: Domine, si hoc esset possibile, nullam abnuerem satisfactionem. Tunc angelus, Domino placeret, vt ad corpus redeas, & quia in cruce peccasti, per crucem satisfacias. Mox se in feretro erigens, omnes, exceptis duobus iuuenibus, qui constantiores erant, in fugam conuertit; quibus & ait: Ne timeatis, quia ego sum: statim que sacerdotem accersens, peccata sua confessus est, crucē suscepit, & cū domino Ottone Episcopo, prædicti Theoderici successore, trās fretauit. In via, singulis diebus in pane & aqua ieiunauit, iuxta equum suū, in quo vestis eius & arma portabatur, nudis pedibus cucurrit; & cū petris secatibus sanguis perfluens viā cruentaret, satis à cōfratribus arguebatur; quibus respondit, Maiora horum sustinui. Qui cū penè omnia sua in Christi seruitio expēdisset, cū prædicto Episcopo & magistro Ioanne rediēs, mare trās iuit, de quo cū nauta naulū requireret, nec haberet, ait: Ego vobis seruiam quoadusque volueritis: ad petitionem tamen prædictorum virorum dimissus est à nauclero. Qui cū reuersus fuisset ad vxorem suam,

sacro

facro igne tactus est, cui ardenti quadam nocte in som-  
nis dictum est, quia si ad ecclesiam sancti Nicolai ac-  
cederet, statim conualesceret: vbi dum orans quatuor-  
decim orationes dixisset, nec conualuisset, desperatus  
ait: Sancte Nicolae, quid moraris? Mox ut quintam  
decimam orationem incepit, perfecte integrèque cõ-  
ualuit, & est vsque hodie calor ignis in eius corpore  
sine omni dolore. Quam Ecclesiam, quæ in villa sancti  
Nicolai sita est, de suo patrimonio reedificans, in ha-  
bitu religioso cum vxore sua Deo & sancto Nicolao  
in ea deseruit. APOLLONIVS: Vellem scire perfecte, v-  
trum iste reuocatus sit de inferno siue de purgatorio.  
CÆSARIVS: Satis inde disputatum est: quod non fue-  
rit in purgatorio, ex hoc probatur, quod locus electo-  
rum sit, in quẽ nullus ingreditur, nisi in charitate de-  
cesserit. Si objicitur illud: In inferno nulla est redem-  
ptio; potest dici, de illis intelligendum esse, qui non  
sunt reuersuri ad corpus, quibus nulla ad redemptionem  
profunt beneficia. Vna est lex omnium contra-  
riorum: si Deus quorundam animas, sicut legitur in  
dialogo; quandoque reuocat ad corpus de gaudiis pa-  
radisi, quare non, a simili, malorum animas de pœnis  
inferni? Sicut dictum est in distinctione prima capi-  
tulo tricesimo quarto, clericus quidam, custodiens se  
diabolo, corporaliter ad pœnas infernales est dedu-  
ctus, & incolumis reductus. APOLLONIVS: Placet  
quod dicis. CÆS. Nunc de pœnis purgatorij aliqua  
tibi proferam exempla, ab acrioribus ascēdens ad mi-  
tiores, causas purgatorij vtilis satis subnectendo.

## CAPVT XXIV.

*De pur-  
gatorij  
pœnis a-  
navorũ.*

**V** Surarius quidam nostris tēporibus apud Leo-  
dium defunctus est, & ab Episcopo de cœmi-  
terio eiectus est: vxor verò illius sedem Apo-  
stolicam adiens, cum pro cœmiterio supplicaret, &  
Papa non annueret, in hunc modũ pro eo allegauit:  
Audiui domine, quia vir & mulier vnum sint, & quod  
Apostolus dicat, Virum infidelem posse saluari per  
mulierem fidelem: vnde quicquid minus factum est à  
viro meo, ego, quæ pars corporis eius sum, libētissimè  
sup.

*1. Cor. 7.*

supplebo: parata enim sum pro illo concludi, & Deo pro eius satisfacere peccatis. Supplicantibus verò pro ea Cardinalibus, ad mandatum domini Papæ cœmeterio restituitur; iuxta cuius sepulchrum illa domicilium fieri fecit, in quo se includens eleemosynis, ieiuniis, orationibus, & vigiliis, die noctuque Deum pro illius anima placare studuit. Septem verò annis expletis, ille ei apparens in veste pulla, gratias egit, dicēs: Reddat tibi Dominus, quia propter tuos labores erutus sum de profundo inferni, & de pœnis maximis: quòd si adhuc aliis septem annis similia beneficia mihi impenderis, omnino liberabor. Quod cum illa fecisset, iterum ei in veste alba & facie jocunda appares ait, Gratias Deo & tibi, quia hodie liberatus sum.

APOLLONIVS: Quomodo dixit se liberatum de profundo inferni, cum nulla in eo sit redemptio? CÆSARIUS: Profundum inferni, a credinem vocavit, purgatorij. Simile est illud, quod ecclesia orat pro defunctis: Dñe Iesu Christe rex glorię, libera animas omnium fidelium defunctorum de manu inferni, & de profundo lacu, &c. Nō orat pro dānatis, sed pro saluandis, & accipitur ibi manus inferni, profundū laci, siue os leonis, pro a credine purgatorij. Nequaquā prædictus usurarius fuisset à pœnis liberatus, si nō habuisset finalem contritionē. Quātum verò virtū avaritię Deus in suis electis in purgatorio puniat, sequens sermo declarat.

## CAPVT XXV.

**I**N monasterio Claræuallis Prior quidam mortuus est nostris temporibus, vir admodum religiosus, & amator disciplinæ præcipuus: hic post mortem visibiliter apparens ancillæ Dei Afzellinæ, forma & habitu statum suum satis ostendit: erat enim facies eius pallida ac macilenta, cuculla tenuis & attrita, quem cum interrogasset, quomodo haberet, respondit: In magnis pœnis hætenus fui, sed gratia cuiusdam fratris, qui mihi plurimum astitit, in proxima solēnitare Dominæ nostræ liberabor. Stupete illa ac dicente: Nōs putauimus vos esse virū valde sanctū: Respondit: Nihil aliud Deus in me punit, nisi quia nimis

nimis

numis sui sollicitus ampliare possessiones monasterij, sub specie virtutis, vitio auaritia deceptus. Hæc dicta snt de pœna auaritia: audi aliquid de pœna luxuria.

## CAPVT XXVI.

*Luxurio-  
sorius.*

**A**Nte hoc triennium, cùm dominus Henricus Abbas noster visitasset in Clarocampo, tempore quadragesimali, etiam sorores in Nazareth visitauit. Eadem nocte, dictis matutinis, cùm se modicum reclinasset, huiusmodi visionem vidit: Videbatur sibi esse in quodam loco parietibus clauso, in quo quidem grauissima suspiria & gemitus audiuit, sed cùm diligentiùs circumspexisset, neminem ibidem videre potuit: cumque audita suspiria durarent, causam admirans, sic ait; Adiuuro te per Dominum nostrum Iesum, vt quid tu sis, edicas mihi. Cuius cùm nullum audisset respõsum, adiurationem iterauit. Tunc quasi aliquid accedere pro piùs sentiens, nil tamen videns, huiusmodi audiuit respõsum; Ego sum vna misera anima. Et ille; Satis misere gemis, cùm tamen ignorem quæ sit causa miseriae. Respondit illa: In acerbissimis sum pœnis. Ad quod Abbas: Quæ est causa pœnarum tuarum? Quia non seruauì castitatem meam. Et ille; fuisti mas an femina? Respondit: Femina. Et quod, inquit, tibi nomen? Dicente illa; Maria. Mox subiunxit; Poteris ne iuuari? Ad quod illa non respondit: sed ad preces conuersa, sic ait: Rogo vos per omnipotentem Deum, vt dicatis mihi psalterium vnum, & insuper aliquot missas. Cuius precibus cùm libens annuisset dominus Abbas, protinus subiecit, possem ne videre te? Et ecce, hoc sermone completo, vidit coram se stare pulchram iuuenulam tonsuratam, more claustralium, in subnigra tunica: quam cùm plura interrogare vellent, tam de statu eius, quàm de statu aliarum quarundam, excitatus est. Dicta verò prima, quid viderit, Abbati Claricampi, & quibusdam monachis eius, nec non & mihi, qui tunc præsens eram, retulit, nec erat qui visum intelligeret, vel interpretari posset. Recitata est visio sororibus de Nazareth, sed non est



est inuenta Maria. Sciens verò sapedictus Abbas, tam manifestam visionē sibi sine causa minimè ostensam, cum venisset in Syon, quæ etiam est domus sanctimonialium ordinis nostri, sicut & Nazareth, post verba exhortationis, somnium reculit, Mariam suam inuestigās. Et ecce vna sanctimonialium, matertera eiusdem Mariæ, hæc audiens & admirans, secretiùs Abbati locuta est, dicens: Domine Maria hæc, filia sororis meæ fuit, sanctimonialis in quodam Claustro Frisiæ nigri ordinis, quod Bredehorn vocatur, & est ante octo annos defuncta: quæ cum fuisset in quadam grangia monasterij, quidam clericus eam corrupit, & impregnauit. Cum verò in partu periclitaretur, vocans patrem & matrem, & duas sorores maritatas, nec non & filiam materteræ suæ de Syon, confessa est eis peccatum suum cū gemitu cordis, sicq; expirauit. Illi verò de animæ eius salutē desperantes, nihil ei beneficii impenderunt. Audiens hæc dominus Abbas gratias egit Deo, qui non tradit bestiis animam cōfidentem sibi, & animam pauperis sui non est oblitus in finem, sciens in ea completum; In quacunq; hora peccator ingemuerit, saluus erit. Cuius hortatu parentes spe concepta, cœperunt ei beneficia impendere, sed & ipse Abbas, tam in monasterijs Frisiæ quam in religiosis domibus prouinciæ nostræ, Missas & orationes, atque psalteria plurima ei obtinuit, exceptis his, quæ ipse ei specialiter impendit.

## CAPVT XXVII.

**M**iles quidam veniens ad sororem\* Gertrudē inclusam de Volmensteyn, sicut ab eius ore audiuit Daniel Abbas Sconauix, qui nobis audita recitauit, pro anima vxoris suæ nuper defunctæ illi supplicauit. Cui oranti illa apparens, in pœnis magnis se esse conquesta est: quæ dum causam requireret pœnarum, eo quòd pro honesta & bona muliere haberetur, respondit illa: Pro arte magica: timui enim ne vir meus cum aliis mulieribus peccaret, si me odiret, & ego illi causa essem adulteriorum: vnde quibusdam artibus, sicut edocta fueram, aliquid ad amorem

*Psal. 73.**Magia  
pœna.  
\* al. Ber  
radam.*

Z z

meum

meum illum inflammaui; & quia in causa non erat libido, sed pia intentio, bene potero iuari. Hæc cum relata fuissent militi, vxori valde condolens, orationibus, ieiunijs, & eleemosynis illi succurrere studuit, animam eius, quibuscunque poterat, commendans. APOLLONIVS: Terribile est, quòd Deus iudicio nostro tam minima tam grauius punit. CAESARIVS: De hoc referam exemplum.

## CAPVT XXVIII.

*Minuta  
puniri de  
licta.*

**M**Onachus quidam ordinis nostri nuper cui-  
dam post mortem apparens, requisitus de sta-  
tu suo, sic respondit: Nunquam putabam Do-  
minum fuisse tam districtum; nam minima, quæ hic non  
fuerint per satisfactionem deleta, obseruat; deinde  
subiunxit & hoc: Deus, inquit, ignoscat prælati no-  
stris, quia magnis & multis sæpe nos subiiciunt poenis,  
valde illorum præcepta ligant: quando enim indiscre-  
tè aliquid præcipiunt, & subditi hoc minus attendunt,  
vel paruipendunt, futuro iudicio referuatur. APOLLO-  
NIVS: Quid dicis de monachis pertinacibus? CAESA-  
RIVS: Pertinacia vitium est poena dignum, etiã si fuerit  
bona, contra præcepta prælatorum.

## CAPVT XXIX.

*Pertina-  
cia.*

**I**N regno Franciæ, domus est, quæ Pruli dicitur, or-  
dinis Cisterciensis; in hac recenter contigit res sa-  
tis mirabilis, sicut retulerunt nobis Abbates nostri  
anno præterito reuertentes de generali capitulo: nam  
quidam ab Abbate, in quo visio facta est, se audiuisse re-  
stati sunt; Adulescens quidam in eadẽ domo factus est no-  
uitius, quẽ magister suus mox secutus est, qui cum factus  
fuisset monachus, ita districtè se habuit, ita singularis  
fuit, vt ei Abbas timeret, & pro indiscreto feruore sa-  
pius argueret. Ille verò salutaribus monitis non acquies-  
cens, in pertinacia sua perseverauit, sicque post aliquot  
annos defunctus est. Nocte quadam, cum Abbas quarta fe-  
ria ad laudes in stalli suo staret, & contra presbyterium  
respiceret, tres personas, quasi tres candelas ardentes, ad  
se venire contemplatus est; quibus propius acceden-  
tibus, cognouit omnes: medius fuit prædictus schola-  
sticus,

sticus, & ex vtroque eius laterere duo Conuersi, omnes nuper defuncti. Tunc Abbas memor pertinaciæ scholastici, interrogauit eum, dicēs: Quomodo habes? respondente illo bene; mox subjunxit: Nunquid passus es pro inobedientia tua? Etiam, inquit, multa & maxima tormenta, sed quia intentio mea bona licet indiscreta fuerat, Dominus mei misertus est, nec sum dānatus. Et ait Abbas: Quid est quod iste Cōuersus, digito eum demonstrans, altero clarior est, cū ipse apostatauerit, & alter nunquā, ex quo ad ordinem venit, grauius excesserit? Respondit monachus: quia iste post lapsum fortius surrexit, & altero multo feruētior fuit. Interim choro cantante versiculum, Pedes sanctorum suorum seruabit, & impij in tenebris cōticescent, scholasticus signa suæ præsentia ibi relinquere volens, tabulam pedibus psallentium substratam tam forrifer calce percussit, vt frangeretur, sicque disparuit. Abbas verò, in testimonium tam manifeste visionis, tabulam fractam reparari vel mutari non permisit. APOLLONIVS: Ista recitari deberēt monachis, qui ex indiscreto feruore sibi & alijs inutiles fiunt. CÆSARIUS: propter eos sanctus Benedictus in regula dicit, octauum gradū humilitatis esse, vt nihil agat monachus, nisi quod communis monasterij regula vel majorum cohortantur exempla. APOLLONIVS: Sicut quidam in rigore suo nimis sunt pertinaces, ita alij verbis vel signis nimis sunt leues. CÆSARIUS: Et hi pœna digni sunt.

## CAPVT XXX.

Sacrista quidam apud Vilarium meis temporibus defunctus est, nomine Ioannes, hic quidem religiosus satis fuit, sed in verbis atque signis leuem admodum se exhibuit. Die quadam post mortem eius, cū dominus Vlricus, tunc Abbas, intraturus esset oratorium, & vnum pedē posuisset introrsum, clara luce prædictus Ioannes illi apparens, ad pedes eius procidit, orationes postulās: quo viso Abbas territ⁹, pedē retraxit, ostium post se claudens. Et iudicatū est a fratribus, causam purgatorij eius maximè fuisse leuitatem.

1. Reg. 1.]

S. Bened.  
di. cap. 7.  
Regula  
sua.

Leuitas.

tem. APOLLONIVS: Quid si ipsi Abbates ordinem suum minus custodierint? CÆSARIVS: Sicut subiecto probabitur exemplo, & ipsi pœnæ subiacebunt.

## CAPVT XXXI.

*Laborâ  
fuga.*

**R**ecitavit mihi nuper Henricus major Cellarius de Claustro, visionem notabilem satis: Contigit, inquit, vt die quadam haberem socium viæ monachum quendam ordinis nostri, cumq; simul conferremus de ædificatorijs, dixit mihi: Ego vobis referam quid nuper contigit in domo nostra; Habebamus Abbatem virum in disciplina ordinis satis perfectum, excepto hoc solo, quod nunquam penè cum fratribus exire voluit ad labores manuum: hic cum moriturus esset, & monachus quidam, quem familiarius præ cæteris diligebat, ei seruiret, ait ei idem monachus: Domine, rogo vos intuitu charitatis, vt infra hos triginta dies mihi apparèdo, de statu vestro me certificetis. Respondit Abbas: Si mihi concessum fuerit, libenter faciam: sicq; defunctus est. Monachus verò, quia multa fecerat ei bona, quotidianis lachrymis in oratione Deum pro illius excessibus ante aliquod altare placare studebat. Tricesima die, cū iam monachus de Abbatis reditu desperasset, illi oranti apparens ait: Ecce hîc sum sicut promisi tibi. Erat autem à cingulo & sursum tam corpore quàm veste clarus valde, crura verò eius vlcerosa, & ad instar carbonū nigerrima. Requisite de statu suo, respondit: Tormenta quæ in cruribus sustinui, nulla lingua posset exprimere. Dicente monacho: Quæ fuit causa tantorum tormentorum? Ille subjunxit: Quia frequenter de labore mansi, nulla sapissime certa necessitate, vt est hospitem siue audiendarum confessionum, me detinente. In residuo corpore nil pœnarum passus sum: roga igitur ex parte mea conuentum, vt aliquas orationes pro me Deo offerat, & spero me citius fore liberandum. Vnde, inquit, sciam vos esse liberatum? Respondit ille; Ante hoc altare tibi apparebo. Dicta sūt hæc Priori, injunguntur orationes, apparet iterū monacho, ab omnibus pœnis se ereptum gratulatur.

A P O L.

APOLLONIVS: Miror vtrū plus mortuis valeāt orationes vel eleēmosynæ. CÆSARIVS: Audi de hoc solutionem cuiusdam mortui.

## CAPVT XXXII.

**Q**uidam post mortem amico suo apparens, cum ab eo interrogaretur, vtrū sibi magis vellet impendi orationes siue eleēmosynas. Respondit: Eleēmosynas, eleēmosynas; orationes enim tepidæ sunt. Hic deuotè justorum orationes\* excluduntur, quæ penetrant cœlos. APOLLONIVS: Quid sentis de Missis? CAESAR. Nulla oratio, nulla eleēmosyna, ad ereptionem animarum, Missæ potest comparari. In Missa Christus orat, cuius corpus & sanguis eleēmosynæ sunt. Has eleēmosynas pauper quædam anima sibi dari post mortem rogauit, sicut sequens docet exemplū.

## CAPVT XXXIII.

**A**dolefcens quidam nobilis ad Claramuallem veniens, receptus est in Conuersum: qui non alta sapiens, sed humilibus consentiēs, ad quædam grāgiam missus, factus est ibi opilio ouium. Qui cum die quadam oues sibi commissas in agro pasceret, apparuit ei quidam suus consobrinus in adolescentia sua defunctus, de cuius inopinato aduentu dū admiraretur & diceret: Vnde tam citò aduenis, & quid quæris? Respondit ille: Mortuus sum, & pœnis maximis crucior. Et Conuersus: Poteris iuari, necne? Respondit: Si potero habere tres Missas in ordine vestro, mox liberabor. Audiens hoc Conuersus, cum licentia magistri sui ad Clarauallē festinauit, & quid viderit vel audierit Priori reuelans, tres Missas, iā dicto impendi defuncto, eius gratiā supplicauit: cui Prior grātanter annuens respondit: Ego vnā celebrabo, alias duobus sacerdotibus iniungam. Dictis verò Missis, mortuus iterum Conuerso apparēs in prædicto agro, gratias egit, & dixit: Beneficio trium Missarum, quæ pro me dictæ sunt, ab omnibus pœnis meis liberatus sum. Nec mirari debes, si tantum valet Dominici corporis immolatio, cū quibusdam animabus ad liberationem proficit breuis verborum absolutio.

*Oratio  
breuis  
prodest.*

**D**VM moretur bonæ memoriæ Christianus monachus noster, cuius memini in distinctione quarta capitulo tricesimo, Abbas Geuardus domi non fuit, qui cum septima die capitulo præfideret, & cantor diceret, secundum consuetudinem ordinis; Domine absolute fratrem nostrum defunctum; his verbis eum absoluit; Requiescat in pace. Eadem nocte Christianus cuidam seniori presbytero, nomine Sifrido, tunc temporis nouitio, & nihil profus de hac absolute scienti, apparens in somnis, ait: Hodie liberatus sum. Qui cum visionem magistro suo Ludolpho recitasset, ille absolute eius recordatus, satis admiratus est verborum virtutem. **APOL.** Miror si sancti, sub quorū regula religiosi viuunt, post mortem cæteris sanctis aliquid eis magis succurrant. **CÆS.** Etiam, sicut in sequenti visione declaratur.

*Sæcti sui  
ordinis  
religiosis  
succur-  
rūt pecu-  
liariter.*

**N**ON est diu, quod sanctimonialis quædam de monasterio Rindorp, quod iuxta Bonnam situm est, Elizabeth nomine, debitum carnis soluit: est autem idem monasterium de regula sancti Benedicti Abbatis. Diligebat eadem Elisabeth specialiter sanctum Ioannem Euangelistam, quicquid poterat honoris illi impendens. Habebat carnalem sororem in eodem monasterio, quæ Alheydis vocabatur, hæc cum nocte quadam, dictis matutinis, in lecto suo sedens, officium defunctorum pro anima fororis decantaret, vocem quandam circa se audiuit. Et cum requireret, quæ esset, respondit: Ego sum Elisabeth soror tua. Et illa: Quomodo habes soror, vel vnde venis? respondente illa: Malè quidem habui, sed modò bene sum; Alheydis subjūxit: Profuit tibi aliquid sanctus Ioannes, quem tam ardentè dilexisti? Respondit illa: Verè nihil, qui mihi assistit, sanctus pater noster Benedictus fuit; ipse enim genua sua pro me flexit ante Deum. **APOLLONIVS:** Cum vix aliquis euadat purgatoriū, valde me terret, quod quidam dicunt, minimā pœnam in purgatorio, maiorem esse omni pœna, qua

quæ excogitari potest in hoc mundo. Cæs. Requisite de hoc verbo à me quidam magnus theologus, respōdit: Falsissimum est, nisi intelligatur de eodē genere penę, verbi gratia; Ignis ille acutior est nostro, frigus frigore nostro, & sic de cæteris: quibus à certiori subsequētes visiones concordant. CAPVT XXXVI.

**C**Irca hoc triennium puella quædam paruula, *De diuer* nouem vt puto annorum, in monte Sancti *sis panis* Saluatoris, quæ domus ordinis nostri est, in *purgādo-* aduentu ipsius Saluatoris mortua est: defuncta verò, *rum.* clara die, conuentu stante in choro, ipsa chorum intravit; intrans, ante altare satis profundè inclinavit, sic in locum suum, vbi stare solita erat, secedens. Quæ iuxta se alia puella, penè eiusdem ætatis, stare videns, & mortuam sciens, tanto horrore concussa est, vt notaretur. Requisite verò à domina Benigna Abbatissa, à cuius ore audiui, quæ dicturus sum, cur ita in choro concuteretur, respondit: sic & sic soror Gertrudis in chorum venit, & cum dictis vesperis commemoratio fieret dominæ nostræ, ad collectam se in terram, stans iuxta me, prostravit; finita verò collecta, se erigens, abiit: hæc fuit causa horrois mei. Abbatissa, timens illusiones diabolicas, ait puellæ: Soror Margareta (hoc ei nomen erat) si denuo venerit ad te soror Gertrudis, dic ei: Benedicite; & si responderit tibi; Dominus; interroga vnde veniat, vel quid quarat. Sequenti die illa venit, & salutata, cum respondisset, Dominus, puella subjunxit: Bona soror Gertrudis, vnde tali hora venis, vel quid apud nos quaris? Respondit illa: Ad satisfactionem huc veni, quia libenter tecum in choro susurravi, semiplenè verba proferēs, idcirco in eodem loco iussa sum satisfacere, vbi me contigit peccare: & nisi tibi de eodem vitio caueas, eandem pœnam moriens sustinebis. Cum quarta vice prædicto modo satisfacisset, ait consorori: Modò satisfactionē meam compleui, de cætero non me videbis; quod ita factum est. Nam ea aspiciente, tendebat versus cœmiterium, mirabili virtute murum eius transcendens. Ecce tale fuit purgatorium huius virginis.

APOLLONIVS: Non est sanæ mentis, qui huiusmodi pœnam omni pœna huius mundi dixerit acucio- rem. CAESARIVS: De hoc plenius in sequenti cap. disputa- bitur: Margareta verò ex comminatione defunctæ sic territa est, vt infirmata, ad extrema deueniret: quæ rapta in excessum mentis, sic jacuit, vt omnibus defun- ctæ videretur; post horam reuerfa, quosdam ex sorori- bus in præsentia dominæ nostræ se vidisse, quosdam & illic non vidisse testata est: Dicebat etiam, quia eadem gloriofa virgo Maria coronam in manu haberet, quæ Stepponis sacerdotis esse dicebat. Idem Steppo præ- byter fuit valde religiosus, & mirè charitatiuus in eodem monte Deo, prædictisque sororibus seruens. Vt autem noueris non esse curandum, quacumq; mor- te iustus moriatur, idem Steppo, cum in acutis labo- raret anno præterito, materia rapta in cerebrum to- tus factus est phreneticus, ita vt multas blasphemias euomeret. Defuncto eo atque sepulto, Dominus ne- rita eius volens ostendere, miracula ad eius tumtam dignatus est operari: infirmi, sicut audiui, super illam dormiunt, & sani surgunt. APOLLONIVS: Nunc edisse- ras, quæ residua sunt de purgatorio. CAESARIVS: Qui- busdam sola carètia diuinæ visionis purgatorium est, sicut in hoc patet exemplo.

## CAPVT XXXVII.

**A**Nte hos duodecim annos, monachus qui- dam Wilhelmus nomine apud nos defun- ctus est; puer quidem ad ordinem venit, & verè puer, quia purus & impollutus, genere nobi- lis erat, sed virtus mentis magis illum nobilitabat. Completo anno probationis, sequenti die cœpit infirmari, & post paucos dies, sancto fine decedens, expleuit tempora multa. Qui statim post mortem cuidam monacho apparens, cum de statu suo requi- reretur, respondit se esse in pœnis. De quo verbo cum ille territus fletet, & diceret: Si tu es in pœnis, qui nunquam peccasti, quid fiet de me peccatore, meique similibus? Consolans eum defunctus ait: Noli flere, quia



quia nullam aliam patior pœnam, nisi quòd nondum vidi Deum: ipsam dilationem gloriæ, pœnam reputans, nec immeritò; Spes quæ differtur, affligit animã. Et adiecit; Ach quam clarum erit quod statim veniet ante Deum! Rogate, inquit, ex parte mea dominum Abbatem, vt in capitulo orationes inungat pro me ad tempus, & vt ipse pro me dicat collectam, sicque liberabor. Dicente monacho: Vnde erit collecta illa? Respondit: De sancto Michaelè. Manè cum visio recitata fuisset domino Henrico Abbati nostro, ipse de eodem Archangelo statim missam celebravit, in capitulo Psalmum: Quemadmodum desiderat ceruus ad fontes aquarum, dicendum per septem dies omnibus pro eo inungens. Mira virtus orationum; Conrado, nunc Priore loci Sanctæ Mariæ, stante in choro, cum in vno versiculo illius psalmi, Deus Deus meus, ad te de luce vigilo, leuiter dormitaret, sæpeditum VVilhelmum sub pallio beatæ Dei genitricis stare conspexit, cum multa gratulatione dicentem: Modò omnino liberatus sum. Eodem tẽpore prædicto monacho secundò apparens testatus est, tantùm septem diebus se fuisse in purgatorio, id est, in carentia diuinæ visionis, multa illi de statu quarundam animarum reuelans. APOLLONIVS: Secundùm hoc paradysus terrestris purgatorium est. CÆSARIVS: Reuera, si in eo animæ sunt corporibus exutæ, & eis visio Dei negatur, idem locus deliciosus eis est purgatorium: cui cõsentire videtur quod sanctus Gregorius in dialogo dicit sub his verbis: Nam sunt quorundam iustorum animæ, quæ a cœlesti regno quibusdam adhuc mansionibus differuntur. In quo dilationis damno quid aliud innuitur, nisi quòd de perfecta iustitia aliquid minus habuerunt: Sicut audiui à quodam magno theologo, quòd quidam tam iusti sunt, vt post mortem puniri non mereantur, nec tamen statim Dei visione fruantur, propter puluerem venialium.

Prou. 13.

Psal. 41.

Psal. 62.

Greg. 1. 4  
dialog.  
cap. 25.

*De pur-  
gatorio  
S. Patri-  
cij.  
Greg. l. 4  
dia. c. 40*

*Videtur  
hic au-  
tor con-  
fundere  
Scotiam  
& Hiber-  
niam.*

**L**oquamur nūc aliquid de Purgatorio. APOL-  
LONIVS: Vbi est purgatorium? CÆSARIVS:  
Quantum ex variis colligitur visionibus, in di-  
uerſis locis huius mundi, Paſchaſius, teſte Gregorio,  
in calore thermarum purgabatur. Monachus quidam  
ſancti Eucharij, in rupe quadam iuxta Treuerim poſt  
mortem anno integro ſteriffe, & aëris inclementiam  
ibidem ſuſtinuiſſe narratur. Qui verò de purgatorio  
dubitat, Scotiam pergat, purgatorium ſancti Patricij  
intret, & de purgatorij pœnis ampliùs non dubitabit.  
APOLLONIVS: Vellem aliquid certi noſſe de eodem  
purgatorio, quid vel quæ cauſa illius extiterit. CÆ-  
SARIVS: Cùm ſanctus Patricius gentem illam con-  
uerteret, & de pœnis futuris dubitarent, precibus ob-  
tinuit à Deo locum illum. Eſt autem foſſa humilis,  
muro vallata, & ſunt ibi Regulares: non eſt peccator  
adeò magnus, cui alia ſatiſfactio iniungatur, quàm vt  
vna nocte in eodem ſit purgatorio: volentem intrare,  
præmiſſa confeſſione, communicant & inſungunt, thu-  
rificant & inſtruunt; Videbis, inquiunt, hac nocte, in-  
ſultus dæmonum, & pœnas horribiles, ſed non pote-  
runt te lædere, ſi nomén Ieſu ſemper habueris in ore:  
quòd ſi dæmonibus blandientibus ſiue terrentibus  
cõſenſeris, & Ieſum inuocare neglexeris, peribis. Què  
in veſpera ponentes ſuper foſſam, locum claudunt,  
& manè reuertentes, ſi non comparuerit, vltra non  
expectatur. Multi ibi perierunt, multi etiam reuerſi  
ſunt, quorum viſiones à prædictis fratribus cõſcriptæ  
ſunt, & volentibus intrare oſtenduntur.

## CAPVT XXXIX.

**N**Vper monachus quidam ordinis noſtri, ſicut  
didici ex relatione cuiuſdam Abbatris, ex li-  
centia proprii Abbatris purgatorium ſancti  
Patricij intrare volens, diſſuadentibus ſecundùm mo-  
rè fratribus & Priore, ſuper marginè foſſæ poſitus eſt  
in veſpera: mox locus verſus eſt in baratrū, & ecce dæ-  
mones, quaſi de abyſſo bullientes, dixerunt monacho:

*Si vis*

Si vis intrare ad nos, depone crucem, (cucullam ad instar crucis formatam sic vocantes) quibus respondit: Vestem meam non deponam, paratus sum intrare, paratus sum vobiscum contendere, sed non sine veste professionis meae. Cumque tota nocte in hunc modum cum eo verbis disceptarent, nec tamen tangerent, mane in eodem loco, ubi fuerat dimissus, repertus est.

APOLLONIVS: Vnde habes auctoritatem, quod post hanc vitam peccata remittantur? CAESARIUS: Dominus dicit in Euangelio; Qui dixerit verbum in Spiritum sanctum, non remittetur ei, neque in hac vita neque in futura. Ex quo colligitur, quod post mortem peccata venialia, nec non & mortalium poena, quae purgatorio essent punienda, meritis & precibus Sanctorum suffragantibus, vel orationibus, elemosynis, aliisque misericordiae operibus ecclesiae militantis intercedentibus, remittantur. Vnde Iudas Machabaeus duodecim milia dragmas argenti misisse legitur Ierosolymam pro peccatis occisorum. Et haec de purgatorio dixisse sufficiat. Hoc etiam scire debes, quod summè boni & martyres talibus post mortem non indigent; summè malis, ut infidelibus, nihil profunt; mediocriter vero bonis, & mediocriter malis, profunt quidem, sed differenter: illis, ut citius liberentur; istis, ut mitius puniantur, quorum tamen poena interminabilis est. APOLLONIVS: Vellem nunc audire aliquid de gloria iustorum. CAESARIUS: Prius tria de poenis reproborum praemittam exempla, locis suis neglecta, ut sic nigro colore subtracto, albus magis elucescat.

## CAPVT XL.

**T**Empore schismatis inter Ortonem & Philippum reges Romanorum, peregrinus quidam de transmarinis veniens partibus, sclauiniam suam pro vino, quod in illis partibus fortissimum est, exponens, in tantum bibit, ut inebriatus a mere sua alienaretur, sic ut mortuum eum aestimarent. Eadem hora ductus est spiritus eius ad loca poenarum, ubi super puteum, igneo operculo reatum, residere conspexit ipsum principem tenebrarum. Interim inter ceteras animas adductus

*Dissis-*  
*sio pecca-*  
*toru post*  
*hanc vi-*  
*ram.*  
*Mat. 12.*

*2. Mach.*  
*12.*

*Reprobo-*  
*rum, &*  
*primò e-*  
*briosoru*  
*poena.*

ctus est Abbas Corueye, quem ille multum salutans, cum calice igneo poculum sulfureum ei ministravit, qui cum bibisset, amoto operculo, missus est in puteum. Peregrinus verò cum ante limina infernalium staret, & talia videndo tremere, diabolus fortiter clamavit: Adducite etiam mihi dominum illum, qui foris stat, qui serò vestem peregrinationis suæ pro vino exponendo inebriatus est. Quo audito, peregrinus ad angelum Domini, qui eum adduxerat, respiciens, promisit quia nunquam inebriaretur, dummodo illa hora de imminente periculo liberaret eum: qui mox ad se reuersus, diem & horam notavit, rediensque in terram suam, eodem tempore prædictum Abbatem obiisse cognouit. Ego eundem Abbatem Colonia vidi, eratque homo valde secularis, magis se conformans militi, quam monacho. APOLLONIUS: Qui hic dediti sunt ebrietati, puto quòd in inferno male potentur. CÆSAR. De hoc aliud tibi referam ex eplâ.

## CAPVT XLII.

**I**N diœcesi Coloniensi, non procul à Colonia, miles quidam erat nomine Rudingerus, sic totus deditus vino, vt diuersarum villarum dedicationes tantum propter bona vina frequentaret. Hic cum infirmatus moriturus esset, filia eum rogauit, vt infra triginta dies sibi appareret: quo respondente; Hoc faciam si potero, expirauit. Post mortem verò, filia per visum apparens, ait; Ecce præsens sum sicut postulasti; portabat enim vas paruum & fictile, quod vulgò cruselinum dicitur, in manu sua, in quali in tabernis potare solebat. Dicente filia; Pater quid est in vase illo? Respondit: Potus meus ex picæ & sulfure confectus, semper ex illo bibo, nec eum epotare valeo: sicque disparuit. Et statim intellexit puella, tam ex præcedenti vita, quam ex pœna, modicam vel nullam esse spem saluationis eius. Vinum quidem hic blandè ingreditur, sed nouissimè mordebit vt coluber. APOLLONIUS: Hoc tam in prædicto Abbate, quam in Rudingero impletum considero. CÆSARIVS: Sclauinia peregrini, qui eundem Abbatem in pœnis

1. Prou. 13.

nis vidit, visionem satis mirabilem ad memoriam mihi reducit.

## CAPVT XLII.

**A**Nte illud tempus, quo occisus est Conradus Episcopus Hildinshemensis, peregrinus quidam in villa quadam moriens, sclauiniam suam sacerdoti legauit, animam suam illi commendas: quam vestem sacerdos quidē suscepit, sed de anima modicum curauit, serui verò siue pueri noctibus se illa tegebant. Non multo post, idem sacerdos in ordine nostro factus est nouitius. Nocte quadam in dormitorio jacens, & dormiens, per visionem raptus est ad loca pēnarum, in quibus maximus erat dæmonum concursus & occurfus; alij animas adducebant, alij adductas suscipiebant, alij susceptas tormētis debitis immittebant. Magnus illic erat clamor & tumultus, gemitus & planctus. Interim prædictus Episcopus claustris infernalibus præsentatur, sed princeps tenebrarum, scilicet Lucifer, voce lugubri præsentātes sic affatur, dicens: Reducite, reducite illum; nō enim noster est, innocenter occisus est. Sacerdos talia vidēs, & pauens, post ostium se occultauit. Vidēs diabolus prædictam in angulo quodam sclauiniam, dixit: Cuius est vestis illa? Responderunt, sacerdotis illius qui stat post ostium, quam cū a quodam peregrino in eleemosyna recepiisset, nihil beneficii animæ illius impedit. Ad quod diabolus: Valde occupati sumus, expediamus nos statim ab illo: tollensque vestem, quasi in fœtidū atq; bulliēs lixiuū intinxit, de qua cū faciem & collum sacerdotis percussisset, ille excitatus fortiter clamauit: Adiuuate, adiuuate. Quem cū signo vocis compercerent, respondit: En morior, en incendor. Tunc surgentes, inuenerunt caput eius totum inustum, sicque in infirmatorium deportauerunt semiuiuum: nullam enim fecerat de eadem negligentia confessionem. APOLLONIVS: Valde terrere debet hæc visio illos, qui multas habēt ecclesias, & multas quotidie recipiunt eleemosynas, & non deseruiunt. CÆSARIUS: Neque nos sine timore esse debemus. His ergo

ergo

ergo quæ tristitiæ sunt omissis, veniamus ad præmia patriæ cœlestis.

## CAPVT XLIII.

*De gaudiis cœlestis patriæ.*

*Luc. 23.*

**I**N monasterio sanctimonialium, quod Dytkirchē dicitur, quod in Bonnensi ciuitate situm est, Abbatissa quædam fuit, nomine Irmendrudis. Erat enim virgo corpore, amatrix imò in domo eadem reparatrix disciplinæ, & totius norma iustitiæ: cum verò moritura esset, passionem Domini coram se legi faciebat, & cum ventum fuisset ad locum illum; In manus tuas commendo spiritum meum, ex multa pietate cordis hæc verba, quæ ei vltima fuerunt, dixit: O amatissime virorū: statimq; agonizās cū CHRISTO & in manus CHRISTI spiritum emisit. Quæ cum post mortem beatæ Aszellinæ apparuisset, & illa de statu eius sciscitaretur; respondit: Statim in ipsa hora, quando anima mea egressa est de corpore, fuit ante Deum. Et illa; Quare soror non apparuisti mihi per hos triginta dies? Respondit Abbatissa: Ego fui in gloria, & tu circa reliquias sanctarum virginum vndecim millium eras occupata, nec te volui impedire. Huius sepultura cuidam sorori, diu antequam Abbatissa efficeretur, præstensa est. De alia siquidem domo, propter religiositatem, ab Episcopo Philippo assumpta fuerat, eratque soror Cæsarii monachi nostri, quondam Abbatis Prumiensis.

## CAPVT XLIIII.

*Psal. 47.*

**H**Æc Aszellina habebat quandam spiritualem sororē in congregatione vnicè dilectā: quæ cū moritura esset, rogata est à beata Aszellina, vt sibi post mortem appareret, quod & fecit. Nā cum die quadam staret in oratione Aszellina, soror defuncta apprensus ei in sphaera ignea, sciscitāti de suo statu, versiculo Dauidico respondit, dicens: Sicut audiuius, sic vidimus in ciuitate Domini virtutum, in ciuitate Dei nostri, &c. nihilq; aliud loquens, oculis eius subtracta est. APOLLON. Satis breuiter satisq; plenè, tam suum præmium, quàm supernæ ciuitatis gloriam ostendit. CÆSARIVS: Cū mortuus esset beatæ

beatæ memoriæ Dauid monachus Claustrensis, cuius vita signis & virtutibus valde extitit illustris, data est prædictæ Aczellinæ vna ex tunicis eius, quam cum propter viri sancti amorē veneraretur valde, ille quadam die ei apparens dixit: Bona soror, tunica mea nō est tibi necessaria, sed quidā peccator cōuersus est in Claustro, Gerardus nomine, cognomento Wasbart, illi des eam, q̄ & fecit. Sciens hoc frater eius carnalis Fredericus monachus noster, partem sibi dari petiuit ex eadem tunica, quam ille per medium scindēs, partem sibi retinuit, reliquam fratri transmisit, per quam plurimæ sanitates apud nos perfectæ sunt. Cum quāta celeritate iustorum animæ cœlos penetrent, adhuc alio tibi pandam exemplo.

## CAPVT XLV.

**M**onachus quidam ordinis nostri, alteri cui-dam monacho, sibi familiari, post mortem apparens, in gloria multa, cum de statu suo requireretur, respondit: Nunquam sagitta de arcu emissa tam citō volare potuit ad locum destinatum, quā citō anima mea de corpore egressa fuit ante Deum; nec mirum, quadraginta enim annis Christo in ordine seruierat, ad instar sagittæ multos salubriter vulnerans exemplo rectæ conuersationis, pennis subleuatus cōtemplationis. In sagitta tria sunt, lignum, pēnæ, ferrum: in ligno, propter fructum, exprimitur boni operis plenitudo: per pennas, gemina, id est Deī & proximi, dilectio: in ferro, quod acutum est, extrema compunctio. Nota quōd sagitta non rectē ducitur, nisi sit pennata, neque peruenire potest ad locum destinatum; sed anima, etiam si fuerit innumeris operibus bonis, id est de genere bonorum, bene decorata, & ferro acutissimi doloris, timore peccatorum affecta, nunquam tamen sine alis charitatis ad locum perueniet æternæ quietis. De hoc loco Dauid dicit in Psalmo; *Quis mihi dabit pennas sicut columbæ, & volabo, & requiescam?* APOLLONIVS: Sape in specie columbæ iustorum animæ leguntur cœlos penetrasse. CÆSARIVS: Verum dicis: nam &

vnum

vnū exemplū, recentiori tempore gestū, de hoc tibi referam.

## CAPVT XLVI.

**I**N ciuitate Bonnensi quādam inclusa erat habitans, religiosa satis atque deuota: hæc cū nocte quādam rimulis cellæ suæ splendorem immittere cerneret, & diem esse putaret, territa propter horas nondum dictas, surrexit, fenestram versus cœmiteriū aperuit: & ecce iuxta caput sepulchri cuiusdam scholaris, receter illic sepulti, miri decoris feminam stare conspexit, gloria corporis eius eandem lucem creauerat, stabat & columba niuea super tumulum, quam illa rapiens, misit in sinum suum. Includa verò, licet iam intelligeret quæ esset, tamen eum reuerentia quānam foret requisit. Cui illa: Ego sum mater Christi, & animam scholaris huius, qui verè martyr est, tollere veni. Reuera scholares, si innocenter viuunt, & libenter discunt, martyres sunt; quòd si postea artes doctas in charitate, maximè in Dei seruitio, exercuerint, magnam ex hoc mercedem consequentur, de hoc audias exemplum.

## CAPVT XLVII.

**I**N Arnisberg monasterio ordinis Præmonstratensis, sicut audiui a quodam sacerdote eiusdem congregationis, scriptor quidam erat Richardus nomine, Anglicus natione; Hic plurimos libros in eodem cœnobio manu propria cōscripserat, mercedem sui laboris præstolans in cœlis. Hic cū fuisset defunctus, & in loco notabili sepultus, post viginti annos, tumba eius aperta, manus eius dextra tam integra & tam viuida est reperta, ac si receter de corpore animato fuisset præcisa, reliqua caro in puluerem redacta fuit. In testimonium tanti miraculi, manus eadē, vsque hodie in monasterio reseruat. Bene erat manus huius scriptoris pennata, id est, opus eius charitate informatum. **A P O L L O N I V S:** Satis Deus ostendit in instrumento, quanta fuerit merces laboris in cœlo. **CAESARIVS:** audi aliud.

CAPVT



**M**agister Petrus Cantor Parisiensis verbo, \* vo- \* *al. vita*  
 to, & exemplo plures ædificauerat. Hic in \* Põ- \* *al. fonte*  
 tenella domo ordinis nostri factus est noui- *nella*  
 tius, & infra annum probationis defunctus est, & in  
 capitulo sepultus; cumque postea, necessitate edificio-  
 rum, corpus eius esset transferendum, aperto sepul-  
 chro, tam magnus & tam suauissimus ex illo odor ef-  
 ferbuit, vt nares omnium illius fragrantia reficeretur.  
 Odor ille signum erat eximiæ eius doctrinæ, cuius  
 mercedem receperat in cœlo. Quantum verò gratiæ  
 quantumve gloriæ doctores, siue prædicatores, post  
 hanc vitã mereantur, subsequens sermo declarat.

**S**acerdoti cuidam ordinis Præmonstratensis in  
 hac, quæ modò fuit, expeditione præceptum e-  
 rat contra Saracenos crucem prædicare: cumque  
 in ipsa prædicatione corporali molestia tactus homi-  
 nem deponeret; cuidam socio suo post mortem appa-  
 ruit: quæ eum ille interrogasset, quomodo haberet, vel si  
 aliquid molestiæ moriens pertulisset. Respondit: Vide-  
 batur mihi pœna mea satis longa, cumque morerer,  
 non nisi demones circa me vidi, qui animam egre-  
 dientem cœperunt abducere; ex quibus vnus dixit:  
 Nunquam bene seruasti professionem tuam, neque  
 obedientiam Abbati tuo promissam. Et subiunxit  
 statim alter: Nunquam prædicasti sincerè Dominum  
 tuum, id est gratis, & intellexi statim, accusante con-  
 scientia, quia vterque verum dixisset: cumque in hunc  
 modum diuersi diuersa contra me proponerent, & e-  
 go iam positus fuisset in desperatione, eo quòd non  
 esset qui pro me responderet, maximè cum circum-  
 spiciens, neque beatam Dei genitricem, neque aliquem  
 angelorum, siue aliorum Sanctorum vidissem, ecce  
 Christus adueniens manu tenuit me, dicens; Sequere  
 me, quia tu prædicasti me. Mox turba omnis spiri-  
 tum illorum immundorum disparuit ad instar fumi,  
 & ego Christum secutus sum ad gloriam, nullam e-  
 nim aliam pœnam, excepto illo terrore, passus sum.

His etiam qui libenter orant, referam exemplum factis incentiuum.

## CAPVT L.

**C**uius quidam Colonienſis habebat illam conſuetudinem, vt quotiens ſolus eſſet, ſemper oraret; eundo ad eccleſiam, ſiue redeundo, vel in curia ſua deambulando, angelicam maximè ruminabat ſalutationem. Qui cùm mortuus eſſet, cuidam nepti ſuæ in habitu ſplèdido apparebat, in quo, maximè tamen in caligis & in calceis, ſcriptus erat per totū verſiculus: Aue Maria, gratia plena, &c. quia, vt dixi, eundem verſiculum deambulando frequentauerat, cruribus eius & pedibus crebriùs inſcriptus apparebat. Ex his quæ dicta ſunt colligitur, quòd ſicut Deus ſecundùm qualitatem & modum punit peccatum, ita remunerat & meritum, maximè in illis membris offèdèns ſignum gloriæ, per quæ illa meretur. **APOLLONIUS:** Vnde eſt quòd humana natura tantum abhorret mortem, cùm tanta ſit ei à Deo gloria præparata.

*Lucæ 22.*

**CAESARIUS:** Ipſe Rex gloriæ Ieſus Chriſtus Deus & homo, in tantum ſecundùm ſenſualitatem mortem abhorruit, vt timore illius ſanguinem ſudaret. Anima naturaliter appetit eſſe in corpore, nec poteſt ab illo ſeparari, ſine magna acerbitate.

## CAPVT LI.

**A**nte hoc quadriennium, cùm Prior quidam de ordine regularium in quadam corte monaſterij ſui hoſpites collegiſſet, & iam menſa eſſet præparata, ipſe tanto ſopore cœpit affici, vt niſi ocyùs dormiret, moreretur. Qui cùm in lecto ſe reclinaſſet, mox quidam eius Conuerſus, qui alteri grangiæ præerat, dormitanti adfuit, dicens: Domine cum licentia veſtra vado: Et ille, **Quò vadis?** Reſpondit Conuerſus, Ad Deum vado, quia mortuus ſum in hac hora. Et Prior: Cùm multi perfecti viri tranſeant per purgatorium, quid eſt, quòd tu tam abſolutè dicis te ſtatim eſſe iturum ad Deum? Ad quod ille reſpondit: Habebam conſuetudinem, vt quotiens tranſire coram crucifixo, hanc dicerem orationem: Domine

mine per illam amaritudinem, quam sustinuiſti propter me in cruce, maximè quando anima tua egreſſa eſt de corpore tuo, miſerere animæ meæ in egreſſu ſuo: & exaudiuit orationem meam Dominus, meiq; miſertus eſt. Et dixit Prior: Quomodo fuit tibi morienti? Reſpondit: Videbatur mihi in agonia, quòd totus mundus eſſet lapis vnus, & premeret pectus meum. APOLLONIVS: Verba huius Conuerſi illis concordant, qui dicunt nullam pœnam in hoc mundo amariorem ſeparatione corporis & animæ. CÆSARIVS: Sicuti alibi dixi, de incertis non audeo iudicare: ſcio enim quòd viri perfecti propter vitam futuram quòdoque valde ardentèr deſiderant mortem.

## CAPVT LII.

**T**res iuuenes de ciuitate Bonniensi conuerſionis gratia ad nouum caſtrū, domum ordinis noſtri, venientes, omnes ibidem recepti ſunt: ex quibus vnus, Theodericus, alter Guntherus, tertius vocabatur Sigerus. Primo mortuo, Guntherus reminiscens ſue peregrinationis & ſuperne beatitudinis, ad quā ſuum comitem iam vocatum crediderat, quotidie ad illius tumulum fleuit. Quem die quadam vox de ſepulchro his verbis allocuta eſt: Conſolare frater, conſolare, quia citiùs venies ad me. Cuius vultum cùm Abbas tristem cerneret, & triftitiæ cauſam ab eo requireret, & ille dicere renueret, vix ab eo, quæ dicta ſunt, extorquere potuit. Paucis diebus elapſis, precibus, vt puto, Theoderici adjutus, & ipſe vocatus eſt, illi conjunctus in cœlo, cui poſt multas lachrymas, vt dictum eſt, associari deſiderauit in mundo. Hæc à Sigero Bonnæ recitata ſunt. APOLLONIVS: Puto quòd merces juſtorum multa ſit in cœlo. CÆSARIVS: Hoc tibi oſtendam in ſequenti capitulo.

## CAPVT LIII.

**C**onuerſus quidam ordinis nigri ante paucos annos deſunctus eſt; die quadam, duobus monachis cœnobij ſui in cœclauſi fedèribus, ille oſtium lateſter aperto ingreſſus eſt ad eos. Quo viſo, cùm terrerètur, ſcientes eū mortuum, ait ille: Cognoscit'is.

ne me? Respondentibus illis: Bene te cognoscimus, tu es talis frater noster. Cœperunt eum interrogare de statu quarundam animarum: quos ille de singulis expediuit, dicens quasdam esse malè, quasdam valde malè, quasdam etiam bene, quasdam valde bene. Quæ cum etiam interrogassent de griseis monachis. Respōdit: Præmium illorum maximum est, & lucent sicut sol in regno cœlorum. Hæc mihi relata sunt à quodā Abbate nigri ordinis. APOLLON. Huic visioni concordat, quod dictum est superius in distinct. 7. cap. 60. vbi ordo noster sub mantello beatæ Dei genitricis cōgregatus est. CÆSAR: verum dicis. APOLL. Quod iustis repromissum est à Domino: Fulgebunt iusti sicut sol in regno patris eorum, nescio vtrum intelligendū sit de corpore vel de anima. CÆSAR. Corpora electorum post resurrectionem lucebunt, vt credimus, sicut sol, non sicut modò lucet, sed sicut luxit ante lapsū, hoc est, septempliciter tantum vt modò, teste I-

*Matt. 13*

saia: Et erit, ait, lux lunæ, vt lux solis, & lux solis septempliciter, vt lux septem dierum: anima verò multo plus lucebit quam corpus. APOLLONIVS: Claritatem corporum vellem mihi aliquo exemplo probari. CÆSARIVS: Vt enim taceam de transfiguratione Domini ci corporis, referam tibi exemplum, quod nuper au-

*I saia 30.*

diui.

*Matt. 17*

CAPVT LIIII.

**M**agister quidam Pariensis infirmatus, cum de glorificatione corporum cogitaret, & hæsitās in corde suo diceret, quomodo poterit esse, vt corpora ista scilicet & putrida lucere possint in futuro sicut sol, ad pedes suos, quos de operimento erexerat, respexit. Et ecce, tantus splendor de illis exiuit, vt oculi eius reuerberati eos intueri nequirent: moxque ad se reuersus, gratias egit Christo, cuius virtute, antequam moreretur, ad fidem resurrectionis reductus est. APOLLONIVS: Quomodo poterunt oculi tantum fulgorem sustinere? CÆSARIVS: Vt dicit Augustinus: Longè erunt tunc alterius potentia, quam modò, nam & ipsi glorificabuntur.

*August.*

*l. 22. de*

*ciuitate*

*Dei. cap.*

*29.*

CA.

**D**Vm sanctæ recordationis dominus David monachus Claustrensis adhuc esset in corpore, sæpe sedens in labore, in ipsum globum solarem irreuerberatis oculis, ad instar aquilæ, respexit. Huius rei testes sunt seniores nostri, qui ea, quæ dicta sunt, sæpius viderunt. Si enim Deus tantam virtutem tribuit oculis infirmis, quid hoc miraris de oculis glorificatis? APOLLONIUS: Dic quæso, quæ erit gloria corporum, vel quæ gloria animarum? CÆSARIUS: Vtriusque hominis gloria nobis inexplicabilis est.

**I**N nouissimo die, vt dicit Apostolus, omnes resur- *De doti-*  
gemus, sed non omnes immutabimur, soli electi *bus bea-*  
immutabuntur, per glorificationem vtriusque ho- *torum.*  
minis. Gloria corporis consistit in quatuor dotibus, *1. Cor. 15*  
id est, in subtilitate, claritate, immortalitate, agilitate. *Corpo-*  
*rum.* Quatuor erunt dotes corporis, vt omnis eius natura glorificetur: corpus constat ex quatuor complexionibus, id est sanguine, cholera, melancholia, flegmate, quæ cum quatuor elementis concordant: sanguis concordat cum aëre, cholera cum igne, melancholia cum terra, flegma cum aqua. Est adhuc alia horum cū ætatibus & temporibus concordantia, quæ huic loco non est necessaria. Quicquid enim corpus humanum habet de aëre, transibit in subtilitatem; quod de igne, in claritatem; quod de terra, in immortalitatem; quod de aqua, in agilitatem. De his quatuor dotibus scriptum est: Fulgebunt iusti, & tanquam scintillæ, in arundine- *Sap. 3.*  
to discurrent. Fulgebunt, ecce claritas, & tanquam scintillæ, ecce subtilitas, nihil subtilius scintilla, in arundine discurrent, ecce agilitas, discursus agilitatem exprimit. Per hoc quod sequitur: Et regnabunt in æternum, exprimitur immortalitas vel impassibilitas. Dotes *Anima-*  
verò animæ sunt, agnitio, dilectio, fructio: anima be- *rum.*  
ta Deum agnosceret, agnitum diliget, fruatur dilecto. Post resurrectionem generalem, septenarius iste trinitati personarum jungetur, & felix tunc ille denarius, electis re- *Mat. 20.*  
promissus, perficitur. Erit tamen in dispari claritate,

*August.* par gaudium, vt ait Aug. quod non est intelligendum  
*l. 22. de* de affectione cordium, sed de rebus, de quibus gaude-  
*ciuitate* tur, vnusquisque ibi gaudebit de gloria alterius: Quod  
*Deic. 30.* dotes debeant inæquales esse, dicit Apostolus; Sicut,  
 inquit, stella à stella differt in claritate, ita erit & re-  
 surrectio mortuorum. APOLLONIVS: De die iudicij  
 vellem nunc aliquid certificari. CÆSAR. De die il-  
 lo nemo scit, quia dies Domini sicut fur in nocte, id  
*Mat. 20.* est inopinatè & improvisè, ita veniet. APOLLONIVS:  
*1. Thes. 5.* Vbi erit iudicium? CÆSARIVS. Super vallem Iosa-  
 phat in aëre. APOLLONIVS: Quot erunt ordines in  
 iudicio? CÆSAR. Quatuor, quidam, vt summè boni,  
 iudicabunt & saluabuntur; summè mali, sine iudicio  
 damnabuntur; mediocriter boni iudicabuntur, & sal-  
 uabuntur, mediocriter mali iudicabuntur, & dan-  
 nabuntur. APOLLONIVS: In qua forma apparebit Chri-  
 stus? CÆSAR. In forma serui omnibus apparebit,  
 sed glorificata. APOLLON. Exhibebit omnibus eun-  
 dem vultum? CÆSAR. Non, bonis apparebit mitis,  
 malis terribilis: hoc tibi ostendam per exemplum.

## CAPVT LVII.

**C**Irca hoc biennium sacerdos quidam mortuus  
 est in Briseke villa diœcesis Colonienfis, de or-  
 dine templariorum, nomine Einolphus, vir sa-  
 tis religiosus. Quæ de illo dicturus sum, ipse mihi ore  
 suo, non semel, sed sapius recitauit. Cùm adhuc puer  
 esset in domo materteræ suæ, infirmatus, sacram  
 cõ-  
 munionem suscepit: & cùm se inungi peteret, quibus-  
 dam dissuadentibus, dilatum est, sicque sine eodem  
 sacramento expirauit. Adfuit & angelus Domini, qui  
 dixit: Malè actum est cum puero isto, eo quòd sine  
 sacra inunctione obierit, & inunxit eum, iam tamen  
 anima egrediente. Egressam verò diuino vultui præ-  
 sentauit, quem vultum puer quasi per yelamen con-  
 templabatur, ei que seuerus valde videbatur. Et ec-  
 ce mox diabolus adfuit, qui cùm puerum accusa-  
 re vellet, nec causam inueniret, ait ad Deum: Do-  
 mine, puer iste obulum germano suo furabatur, nec  
 vnquam inde egit pœnitentiam: justus es, & iustè  
 judi-

iudicare debes, non dimittes reatum, quia non resti-  
 tuit ablatum. Cui Dominus respondit: Velles vt pro  
 tantillo puerum hunc damnarem: mea iustitia, non *Apo. 4.*  
 est absque misericordia. Supplicantibus pro anima vi-  
 ginti-quatuor senioribus, qui in circuitu sedis erant,  
 culpa remittitur, moxque ad præceptum Dei dedu-  
 cta in puteum igneum projecta est, in quo tantam  
 pœnam pertulit, vt postea verbis explicare nequiret.  
 Post horam ab angelo, à quo missa fuerat, extracta,  
 iudici præsentata est: cuius faciem tunc amoto vela-  
 mine perspicuè vidit, tantam familiaritatem, jocun-  
 ditatem, atque dulcedinem puero exhibens, vt eam  
 deosculari potuisset, si voluisset. Et cum ante cul-  
 pam in humana forma Christum vidisset, post purga-  
 torium in diuinitate eundem meruit contemplari.  
 Iuxta quem vidit gloriosam eius genitricem in solio  
 splendido residentem, & in circuitu eorum multitu-  
 dinem Angelorum, Patriarcharum, Prophetarum, A-  
 postolorum, Martyrum, Confessorum, Virginum, a-  
 liorumque iustorum. Diabolus verò timens animam  
 perdere, ait ad Deum: Bonum est vt reducatur ad cor-  
 pus, vt ampliùs adhuc tibi seruiat. Cui Dominus re-  
 spondit: Hoc non dicis propter eius salutem, sed pro-  
 pter tuam nequitia: speras enim quòd per corpus pec-  
 cando, cedere possit in partem tuam. Data tamen sen-  
 tentia, anima corpori restituitur. Mirantibus cunctis,  
 qui aderant, quia per signa, quæ in puero viderunt,  
 verbis eius credere cõpulsì sunt. Puer verò tũ amore  
 tũ timore pœnæ patriã suã deserens, cõuersionis gra-  
 tia ad quandã domum ordinis nostri venit, cuius de-  
 sideriũ, cũ Conuersus, homo nequã ac superbus, qui  
 hospitio præerat, cognouisset, eo audiẽte sic ait: Vide-  
 te, quãdo tales garciones monachi fuerint effecti, sta-  
 tim volunt esse dñi nostri. In cuius verbis, ad eò puer  
 scãdalizatus est, vt à proposito resiliret, & ad ordinem  
 reþlariorum se transferret. APOL. Multæ visiones de  
 cõsummatione sæculi quotidie recitãtur, nescio si eis  
 fides sit adhibenda. CAES. Quia de aduentu Antichri-  
 sti, & consummatione sæculi, multi sunt decepti, quæ

de eis audiui, scribere nolui. Fortè, imò non fortè, propter orationes Sanctorum, iudicij tempus differitur, sicut ex sequenti visione colligitur.

## CAPVT LVIII

**I**N Claraualle sacerdos quidam est, Wilhelmus nomine, cuius mentionem feci in distinctione octaua, capitulo quadragesimo nono: huic diuinitus multa reuelantur. Anno siquidem presenti, cum in oratione staret, factus in excessu mentis, raptus est ad tribunal Christi: ad cuius dexteram, angelum cum tuba stare conspexit, quem Christus clara voce, cunctis cœlestis patriæ exercitibus audientibus, sic allocutus est; Buccina. Quod cum factum fuisset, tam valida erat vox eiusdem tubæ, vt totus mundus quasi folium de arbore tremere videretur. Cui cum secundo diceret; Buccina adhuc semel, Mater misericordiæ Virgo Maria, sciens mundum, si denuo buccinaret consumari, cæteris Sanctis tacentibus, surgens ad pedes filij procidit, & vt sententiã differret, mundo parceret, cum instantia multa supplicauit: cui Christus respondit; Mater, mundus in tam maligno iam positus est, & sic quotidie me suis peccatis irritat, vt vel lætentiam suspendere vel homini parcere merito non debeã. Nõ solum laici, sed etiam clerici & monachi vias suas prorsus corruerunt, & me de die in diẽ offendant. Tunc illa: Parce dilecte fili mi, etsi non propter illos, saltẽ propter amicos meos, personas ordinis Cisterciensis, vt se præparent. Abbates nostri hoc anno, de capitulo generali reuertentes, nobis ista retulerunt. APOLLONIVS: Quantum ex hac visione colligo, valde

*Gen. 18.* malis prodest iustorum cohabitatio. CÆSARIUS: Si decem iusti fuissent in Sodomis, Dominus multitudini pepercisset. APOLLON. Viso hæc cõcordat miraculo capituli secundi septimæ distinctionis, vbi imago Dei genitricis sudasse dicitur, timore imminentis iudicij. CÆSARIUS: Diem iudicij esse in ianuis, terræ motus per loca, & alia signa, de quibus supra dictũ est, declarant. Sed valde consolatur quod Saluator, his fieri incipientibus, iustos admonet, dicens: Leuate capita



capita vestra, id est, exhilarate corda, quia appropinquat redemptio vestra.

## CAPVT LIX.

**F** Estinemus ergo ingredi in ciuitatem illam, in qua nulli sunt terramotus, nulli gemitus vel suspiria, sed Dei laus assidua; in qua nulla pericula, sed securitas firma; in qua non est mortalitas, sed vita aeterna; in qua rancor nullus, discordia nulla, sed pax plena; in qua nullus esurit, nullus sitit, quia satietas illic perfectissima. Quatuor hæc bona in tribus versiculis Propheta comprehendit, dicens: Lauda Ierusalem Dominum, lauda Deum tuum Sion, lauda corde, lauda ore. Quare? Quoniam confortauit seras portarum tuarum: ecce securitas. Benedixit filiis tuis in te: ecce immortalitas. In dextera illius, longitudo dierum. Qui posuit fines tuos pacem: ecce pax & concordia. Et adipe frumenti satiatur te: ecce satietas. De gaudio ciuium huius beatæ ciuitatis in alio loco idem dicit Psalmista; Sicut latantium omnium habitatio est in te. Comprehendit breuiter, quod longis sermonibus explicari non poterat. Non enim erit læticia qualis hîc agitur, vbi de filiorum susceptione lætamur, vel de munere diuitiarum vel bonorum gratulamur. Quod igitur explicari non potuit, sumpta qualicunque similitudine, dixit vt potuit: Sicut latantium, inquit, id est, verè latantium, vt sit expressio veritatis, & non nota similitudinis, vt ibi: Tanquam vnigeniti à Patre, id est, veri vnigeniti. Istorum latantium septiformis est actio: viuunt vita infiniabili, sapiunt arcana Dei, amant Deum & proximum, laudant quod oculus non vidit, quia sunt inuisibilia; & quod auris non audiuit, quia sunt in pace quietissima; nec in cor hominis ascendit, quia sunt incomprehensibilia. Gaudent gaudio ineffabili, volucres sunt & securi. Beati sunt illi, qui illuc ducente Domino perueniunt, vbi omnis cogitatio vincitur, & omnia desideria superantur, vbi talis felicitas accipitur, quæ nulla contrarietate perdat. **A P O L L O N I V S**: Miseri sunt, qui ad tantam læticiam non su-

*De gaudio beatorum.*

*Pf. 147.*

*Prou. 3.*

*Psal. 86.*

*Ioan. 1.*

*1. Cor. 2.*

746 DE POEN. ET GLOR. MOR. LIB. XII.  
spirant. CÆSARIUS: Quia diuologo nostro finis impo-  
nendus est, simul Christum, qui omnis consummatio-  
nis finis est, deprecemur, vt ea quæ tua interrogatio-  
ne, siue mea responsione, confecta sunt, legentibus,  
necnon & audientibus, ad meritum proficiant, vt sic  
ædificatio proximorum nostrorum fructus fiat labo-  
rum. Quod nobis præstare dignetur ipse, de quo lo-  
quimur, Dominus noster Iesus Christus mundi redē-  
ptor, electorum confrater, rex angelorum, &, vt bre-  
uiter concludam, vita, merces, & lætitia omnium Sã-  
ctorum, cui cū Patre & Spiritu sancto sit laus, honor,  
& imperium per infinita sæcula sæculorum Amen.

FINIS LIBRI XII.

IN-

